

IO. ERN. IMMAN. WALCHII

CONSIL. AVL. SAXO-VIN. ET ISENAC.

ELOQVENT. ET POES. P. P. O.

ANTIQVITATES MEDICAE SELECTAE



IENAE

SVMTIBVS VIDVAE CROEKERIANAE

MDCCLXXII

VIRO
PERILLVSTRI ATQVE
EXCELLENTISSIMO

ROGERIO

L.B. DE RVTERSHAVSEN

S. CAES. ET REG. APOST. MAIESTATI A CONSILIIS PROVINCIAE, IVSTITIAE ET COMMERCIORVM

FAVTORI SVO
AESTVMATISSIMO

HAS ANTIQVITATES

SACRAS ESSE VVLT

IO. ERN. IMMAN. WALCHIVS


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIR PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME,
FAVTOR SVMMOPERE
COLENDE,

Ex quo ad TVAM beneuolentiam aditum mihi patefecisti, non impenſe ſolum TE amare, ſed ob multas quoque eximias, quibus praeditus es, virtutes, ſuſpicere coepi ac venerari.

Nactus enim in TE ſum non modo eximium fautorem, qui permultis humanitatis officiis me ſibi reddidit deuinctiſſimum, ſed etiam virum in TE cognoui litterarum amantiſſimum, in omnibus liberalium artium diſciplinis apprime verſatum, in primis rerum naturalium doctiſſimum ſcrutatorem, qui ad magnas ſuas laudes etiam hanc adiungit, quod illas naturae, ſeu potius liberalium ingeniorum delicias magnis ſumtibus colligit, iisque cum perilluſtri nomini ſuo, tum Lincio, vbi degit, immo Auſtriae vniuerſae permagnum decus et ornamentum conciliat. Quod quidem meritum

tan-

tanto profecto illustrius et TIBI, VIR PERILLVSTRIS, honorificentius est, quo maiorem eiusmodi studia, quae TV tanta cum laude prouehis, reipublicae adferunt vtilitatem.

Ne vero meo, quod in TE colendo mihi constitui, officio vel vlla in re defuisse videar et vt vel aliquod summae meae in TE obseruantiae habeas documentum, consecro TIBI hunc libellum eumque publicum mei TIBI addictissimi animi interpretem esse volo. Rogo TE simul et precor, vt benigne eum excipias, gratiae me TVAE commenda-

 tum

tum habeas hocque de me TIBI persuadeas, me nullo non tempore in eo esse elaboraturum, vt, qui in TE sim, hoc est, sincerum et strenuum praestantissimarum TVARVM virtutum TVORVMque in rempublicam et litteras meritorum cultorem in dies magis experiaris. Ienae d. XXVIII. Aprilis CIↃIↃCCLXXII.

PRAE-




PRAEFATIO



Opuſculum hoc nonnullas, maximam partem breues, commentationes complexu ſuo tenet, quae ſeparatim antea a me in lucem publicam editae fuerant. Primum in his locum dedi explicationi ſigillorum, quibus veteres medici ocularii vſi ſunt, et quorum nonnulla benigniori fortuna ad noſtram vſque aetatem ſunt ſeruata. Cuius argumenti excutiendi occaſionem vnum eorum mihi dedit, in agro noſtro repertum,

quod ſine dubio a quodam antiquitatis amatore, ad has oras ex Italia forte aut Gallia delatum, amiſſum deinde, caſu et fortuna eo deuenit, vbi poſtmodum fuerat repertum. Huius ſigilli illuſtrationem breui commentiuncula dederam, cuius exemplaria quum haud diu poſt diuendita et diſtractà eſſent omnia, ſuaſu et hortatu amicorum pleniorem huius argumenti disquiſitionem edidi, qua et de reliquis huius generis ſigillis ſum commentatus, additis ſimul, vt ipſi rei maior inde lux accenderetur, medicorum oculariorum inſcriptionibus. Breui poſt haud abſimile ſigillum, in Gallia repertum, in illuſtriſſimi comitis DE CAYLVS manus venit, quod, quum, morte praeuentus, intactum reliquiſſet, doctiſſimus SEGVIERIVS, litterati Nemauſi verum decus et ornamentum, eius ἀπογραφὸν ad me miſit vtque huius ſigilli illuſtrationem ſuſciperem, me rogauit. Quae itidem

ſepa-



ſeparatim prodiit, iam iterum recuſa, et iis, quae de meo et aliis huius generis ſigillis dicta a me fuerant, addita.

Reliquas commentationes ſcripſi, quum pro muneris, quo fungor, legibus auſpiciis regiminis academici boni ominis cauſſa aliqua a me praefanda eſſent. Quod quum bis quotannis more conſueto in hac academia fieri ſolet, ex multis eas tantummodo ſelegi, quae, vti ſigilla iſta, ad antiquitates medicas iure quodam ſuo ſpectare videntur. In harum vna locum Alfeni Vari explicare adgreſſus ſum, quo non medicos aegrotis, ſed aegrotos medicis imperare ait. Altera Aſclepiadas veteres ab obliuione vindicat, horum hiſtoriam tradit, et quae huius nominis ratio olim fuerit, oſtendit. Tertia ad materiam, vt vulgo dici ſolet, veterum medicam pertinet, deque frequenti lapidum in Graecorum Romanorum-

norumque medicina vſu diſputat, ipſosque lapides percenſet, qui ſanandis aegris corporibus adhibiti olim fuerint. Quarta de pyrrhoniſmo veterum medicorum agit, et in cauſſas inquirit, vnde factum ſit, vt perplures eorum pyrrhoniae, quam alii, philoſophorum ſectae addicere ſe maluerint. In quarta quaeſtio illa excuſſa eſt, vtrum ARETAEVS morbos hodie inſolentes et inuſitatos commemorauerit, cui deinde quinta de acutae venae cauae morbo acceſſit, cuius apud eumdem medicum mentio eſt facta.

Quas quidem commentationes ſi TIBI, lector beneuole, haud penitus diſplicuiſſe cognouero, non erit profecto, cur me mei laboris meaeque operae poeniteat, quam in illis ſcribendis edendisque conſumſi. Ienae, d. XXVIII. April. CIƆIƆCCLXXII.

I. SI-



Sigillum

medici ocularii romani.





ex museo J. E. J. Walchii.

fec. G.C.B.Heller, Jenae.

I.

SIGILLVM MEDICI OCVLARII ROMANI

IN AGRO IENENSI REPERTVM



GREPERTVM est haud ita pridem in agro ienensi antiquum romanum monimentum, si magnitudinem spectamus, paruum aut mediocre, si vtilitatem, sic comparatum, vt omni attentione dignum, antiquitatis certe amatoribus periucundum esse videatur. Lapis est quadratus viridis coloris, minus tamen perlucidus, sed vt solent esse, qui ad iaspidum vulgo genus referuntur. Laterum spatium vtrimque simile est, duorumque pollicum latitudinem vix excedit. Crassitudo non magna, sed modica, superficies polita et laeuigata, vsu tamen et iniuria, vt videtur, temporis paullisper detrita. In medio lapide foramen est, arte et studio, quod omnes rationes ostendunt, factum, vel vt filo suspenderetur ab iis, quibus id lapidum genus in vsu olim fuit et consuetudine, vel alias forte ob rationes, aeuo nostro, propter veterum ea de re silentium, inco-

 gnitas.



gnitas. Iam vero, quod caput rei est, lapidis huius quatuor latera inscripta sunt, incisis litteris romanis, ductu inuerso, a dextra ad sinistram, sic, vt istae, cerae impressae, rectae demum et more consueto, a sinistra ad dextram, adpareant. Quoduis latus singularem refert ἐπιγραφὴν litteris propter spatii angustiam coarctatis et duobus ςίχοις expressam. In altero lapidis latere incisae visuntur litterae:

P.HR°NIMDIAPSOR
OPOBALSADCLAR

In altero:

PHR°N.MDIASMRN
POSTMPELIPEX°V

In tertio:

PHRONIMEV°DES
ADASPRIT.ET.CIK

In

In quarto denique:

P HR NIMIPENICIL
ADOMNEMLIPPIT

CVIVS lapidis verba quid significarent, quaeue iisdem subiecta esset sententia, quum quaererent multi, et, quid nobis ea de re videretur, sciscitarentur curiosius, aliis alia ex hoc viridi lapillo quasi diuinantibus, haud ingratam nos rem earum rerum amatoribus facturos, arbitrati sumus, si vera horum verborum enodatio publice a nobis proponeretur.

QVA quidem in re hoc inprimis tenendum est, monimentorum huius generis, cuius nostrum esse diximus, haud admodum multa ad hanc aetatem peruenisse. Duos eiusmodi lapides in lucem publicam protulit in Batauia IOANNES SMETIVS *a*), quos in miscellanea eruditae antiquitatis postea transtulit eruditissimus Gallus, IACOBVS SPONIVS *b*), addito ex PEIRESCII schedis tertio, eiusdem fere formae, cuius illi sunt, quos SMETIVS

 cum

a) *antiquitatibus Nouiomagensibus* p. 98. 99.

b) *miscell. eruditae antiquitatis* p. 237.

cum doctis viris ad explorandam eorum hac de re ſententiam antea communicauerat. Ac is quidem SMETIVS, qui lapillorum horum vſus olim fuerit, quaeue eorum verbis ſubiecta ſit ſententia, plane ſe ignorare, ingenue fatetur. SPONIVS autem, ingenio felicior, coniecturas nonnullas de iisdem fecit, quae etſi non omnes veri ſpeciem prae ſe ferunt, hoc tamen Gallus iſte laudis habet, quod is primus viam monſtrauit, vnde ad veram horum lapidum interpretationem eorumdemque olim vſum cognoſcendum peruenire queamus. SPONIVM ſequutus eſt Anglus doctiſſimus, EDMVNDVS CHISHVLL *c*), Anglum celeberrimi in Italia duumuiri, illuſtriſſimus marchio, SCIPIO MAFFEI *d*), et LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS *e*), quorum ſtudio et opera factum eſt, vt poſt tres illos lapides, a SMETIO et SPONIO editos, ſex noui eiusdem generis ex tenebris, quibus ſubmerſi per tot ſecula iacuere, ad priſtinam lucem redirent, vnus EDMVNDI CHISHVLLI, alter et tertius MAFFEI, reliqui MVRA-

c) ſingulari *diſſertatione*, quae exſtat in *theſauro Britannico* HAYMII.

d) *Galliae antiquitatibus*, p. 81. et *muſeo Veronenſi* p. CXXXV.

e) *nouo theſ. inſcript.* p. IↃVIII.

MVRATORII *f*) cura et beneficio, quorum hic inſcriptionum veterum theſaurum, ille cum ſuas Galliae antiquitates, tum muſeum Veronenſe, iſte HAYMII theſaurum Britannicum egregiis his antiquitatis monimentis ornare atque illuſtrare ſtuduit. Succeſſit deinde BERALDVS, qui ephemeridibus anglicanis (*gentleman's magazin*) commentationem inſeruit, inque iſta incognitum adhuc eiusdem generis ſigillum medici ocularii, L. CINTIVSMINIBLANDI, propoſuit. Beraldum tandem excepit illuſtriſſimus comes DE CAYLVS, cuius *collectionem antiquitatum* eiusque tomum primum inedita aliquot horum medicorum oculariorum ſigilla ornant, quibus ſimul alia, a SMETIO, SPONIO aliisque in lucem extracta, adiunxit. Ac his quidem comitem quaſi et ſocium ſe adiungit nouus huius generis lapis, ad noſtram vrbem in arena, quam fluuius aduehit, caſu et fortuito repertus. A reliquis, iam editis, quoad inſcriptiones reputamus, plane eſt diuerſus, ſic tamen comparatus, vt, quantum noſter ab illis lucis mutuari, tantum

f) apud MVRATORIVM *loco memorato* quatuor huius generis lapides proferuntur, ex quibus tres antea lucem non viderant, primum ab ipſo editi, quartus vero idem eſt, quem ill. marchio MAFFEI dedit *antiquitatibus Galliae*, pag. 81.

certe iisdem viciſſim reddere et alter alterum mirifice illuſtrare videatur.

DE inſcriptionibus lapidis noſtri primum dicemus. Quae ſi inter ſe, tum cum aliis horum lapillorum conferuntur, tria in vnaquaqúe contineri, facile adparebit, primum nomen medici, deinde medicamentum, ab ipſo compoſitum, denique medicamenti huius virtutes, ſiue ad quod morbi genus iſtud ſit adhibendum. Quum vero cuncta, tam quae in noſtro, quam aliis iſtiusmodi lapillis nominantur, morborum genera, vt quilibet videt, ea ſunt, quibus oculus humanus obnoxius eſſe ſoleat, facile ad coniecturam hanc ducimur, fuiſſe hunc lapillum olim medici ocularii, medicamenta vero, quae is praeparauerit, et quorum virtute morbis oculorum mederi voluerit, eosque, vitio quodam laborantes, ad priſtinam reuocare ſanitatem. Quam multa vero hic dicenda forent, ſi paullo altius rem ipſam repetere et medicorum oculariorum apud veteres rationem oſtendere, in praeſenti nobis animus eſſet: ſi ſcriptionis huius limites permitterent, vt ſingulis fere morbis ſingulares olim fuiſſe medicos, oſtenderemus, ocularios prae ceteris in honore et pretio fuiſſe, cauſſam vero eius rei cum ab eo repetendam eſſe,

quod

quod in sananda praestantissima totius corporis humani parte ars eorum versata fuerit, tum propter morborum vitiorumque multitudinem, quibus oculi nostri tentari vexarique soleant. Neque vero non monstrari simul posset, saepissime idcirco huius medicorum generis in antiquis monimentis factam esse mentionem, viderique istud, teste HERODOTO g), ab Aegyptiis ad Graecos, a Graecis ad Romanos peruenisse: ex horum inscriptionibus haud paruum medicorum horum colligi posse numerum, vocatos eosdem fuisse modo *ocularios* h), modo *oculares* i), modo *medicos ab oculis* k); non confundendos tamen eos esse cum *vnguentariis*, *myrobrechariis* et *oculariariis* veterum l) et quae alia

 sunt

g) *Euterpe*, *cap.* LXXXIIII.

h) videatur GRVTERVS p. IↃCXXXIII. 2. IↃLXXXI. 8. GVDIVS *inscr.* CCLI. 12. MAFFEI *mus. Veron.* pag. 138. 2. REINESIVS *inscr.* p. 611. FABRETTVS *inscr. domest.* p. 300. MALVASIA *marmoribus Felsin.* p. 219. MVRATORIVS p. IↃCCCCVIII. I. IↃCCCC. 4.

i) Quo pertinet lapis: TI. IVL. AVGVSTAE. L. CVTISORVS, MEDICVS. OCVLARIS. HIC. SITVS. EST. apud MVRATORIVM p. DCCCCXXVII. 5.

k) Apud GRVTERVM enim p. IↃLXXX. 2. P. ATTIVS ATIMETVS vocatur AVG. MEDICVS AB OCVLIS, et in alio lapide p. IↃCXXXV. 3. SILICIVS MEDICVS AB OCVLIS.

l) vnguentariorum mentio fit apud GRVTERVM p. IↃC



sunt huius generis, ad argumentum nostrum illustrandum apprime facientia.

NE vero haec omnia, maxime, quae ad illustrationem cum ipsius argumenti, tum lapidis nostri, aliquid faciunt, plane intacta reliquisse videamur, nonnulla ex his,

p. IƆCXXXV. 8. 9. REINESIVM *class.* XI. *num.* 117. p. 648. SPONIVM *miscell. erud. antiquit.* p. 236. et MVRATORIVM *thes. nou. inscr.* p. DCCV. 2. IƆCCCCXXXVIIII. 2. IƆCCCCLI. 6. IƆCCCCLXXVIIII. I. IƆCCCCLXXXVII. 12. Sic vero vocabantur non solum ii, qui olea composita tam ad suffitum et gratum odorem, quam ad morbos sanandos vendiderunt, sed etiam qui id genus vnguentorum in balneo lotis ministrarunt. Conf. SPONIVS *loc.* memorato. Quos latini *vnguentarios*, hos graeci *myrobrecharios* dixerunt, de quibus REINESIVS videatur *not. ad inscriptiones* p. 636. et SPONIVS *miscell.* p. 225. Qui *ocularíarii* fuerint apud veteres, non satis liquet. In marmore enim REINESIANO p. 632. L. PATROCLVS dicitur FABER OCVLARIARIVS et apud GVDIVM p. CCXXIIII. IO. C. VENVLEIVS ARISTOCLES OCVLARIARIVS DE VICO CORNELII. REINESIVS loco memorato putat, sic vocatum esse eum, qui *vitra vel muniendis contra aeris iniurias oculis, vel obiectis maiore forma repraesentandis et apprehendendis inseruientia, praeparauerit.* Nostra vero sententia ocularíarii dicebantur, qui statuis marmoreis oculos infixere, ex metallo factos. Cuius artificii memoriam nobis conseruat inscriptio SPONIANA p. 292. qua M. RAPILIVS SERAPIO dicitur OCVLOS STATVIS REPOSVISSE.


his, quae ſummatim indicauimus, proferre in praeſenti viſum eſt, vt oculariorum inprimis medicorum apud veteres ſtatus et conditio tanto melius cognoſcatur. Singulares morbos ſingulares olim medicos habuiſſe apud veteres, nominatim Aegyptios, HERODOTVS *m*) haud obſcure declarat. Ἡ δὲ, inquit, ἰητρικὴ κατὰ τάδε σφι δέδασται. Μιῆς νόσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι, καὶ οὐ πλεόνων. πάντα δ' ἰητρῶν ἐστὶ πλέα. οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι, οἱ δὲ κεφαλῆς, οἱ δὲ ὀδόντων, οἱ δὲ τῶν κατὰ νηδὺν, οἱ δὲ τῶν ἀφανέων νούσων, *medicina apud eos hunc in modum eſt diſtributa, vt ſingulorum morborum ſint medici, non plurium. Itaque omnia referta ſunt medicis. Alii enim ſunt oculorum, alii capitis, alii dentium, alii alui partium, alii morborum occultorum.* Conſuetudo haec ab Aegyptiis ad Graecos videtur tranſiiſſe, a quibus eam accepere Romani. Praeterea enim, quod dentarios, auricularios, ocularios, clinicos aliosque huius generis medicos habuerunt, vt recte cel. WESSELINGIVS *n*) obſeruat, mentio quoque facta eſt *medicae a mammis* in lapide apud GVDIVM: *o*)

TO-

m) *Euterpe cap.* LXXXIIII. p. 120. edit. GRONOVII.

n) *obſ. de veterum medicis ocularii vol. III. actorum ſoc. lat. Ienenſis,* p. 48.

o) p. CCXXIIII. 6.

TORELLIA T. L. MELANIONA
MEDICA. A. MAMM.
ANN. XL. SE. VIVA. FECIT. ET
VRN. MARMOR. POSVIT.

Quod etiam confirmant verba SCRIBONII LARGI p): *multos animaduertimus vnius partis ſanandi ſcientia medici plenum nomen conſequutos.* Ex quibus intelligimus illa MARTIALIS: q)

Totis, Galle, iubes tibi me ſeruire diebus
et per Auentinum ter quaterque ire tuum.
Eximit aut reficit dentem Caſſellius aegrum,
infeſtos oculis vris Higyne pilos,
non ſecat et tollit ſtillantem Fannius vuam,
triſtia ſeruorum ſtigmata debet Heros,
enterocelarum fertur Podalirius Hermes.
Qui ſanet ruptos, dic mihi, Galle, quis eſt?

quibus medici dentarii, ocularii, qui porro tuberculos in faucibus ſanarunt, tum qui ſtigmatum delendorum artem ſunt profeſſi, ac ii denique, qui inteſtinorum tumore laborantibus opem tulere, a ſe inuicem diſtinguuntur. Itaque neceſſe viſum

p) *compoſit. med. praefat.* p. 5. ed. RHODII.

q) *lib.* X. *epigr.* 57. al. 50. p. 721. edit. RADERI.

ſum eſt, non ſolum in officiis domus auguſtae plures habere medicos, quorum alius aliud medicinae genus profiteretur, ſed etiam iis iunctim praefectum conſtituere, qui in inſcriptionibus libertorum et ſeruorum Liuiae Auguſtae dicitur *decurio medicorum*, vt ex hoc marmore *r*) patet:

M. L*luius*
BOETH*ius*
DEC*urio*
MEDI*corum*

et *ſupra medicos* in alio *s*):

M. LIVIVS
LIVIAE. L. ORESTES
SVPRA MEDICOS

Quum vero diuerſae medicinae partes eo tempore, vti olim apud Aegyptios, raro iunctim, ſed ſeparatim a medicis excolerentur, in aula imperatorum romanorum magnus medicorum numerus fuiſſe videtur, quamquam iniuria temporis paucorum memoria ad noſtram peruenit aetatem. Ac horum quidem ſingulares olim fuere praefecti, qui SVPRA MEDICOS in officiis Liuiae Auguſtae adpellantur. Qui qui-

r) videatur GORII *columbarium libertorum et ſeruorum Liuiae Auguſtae* p. 121. num. LXXV.

s) ibid. p. 122. num. LXXVI.

quidem, nisi nos omnes fallunt rationes, hi ipsi sunt, quos in aliis marmoribus *archiatros* adpellatos videmus, quorum duos primum cognitos nobis fecere BOISSARDVS *t*) et PATINVS *u*) ex lapidibus romanis, qui tam in GRVTERIANVM *x*) quam MVRATORIANVM *y*) thesaurum postea translati sunt. Tertium, ΚΥΡΟΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ, CYRVM APOLLONII *filium*, in lucem protraxerunt doctissimi itineris litterarii socii ac comites, IACOBVS SPONIVS *z*) et GEORGIVS WHELERVS *a*); quartum vero, TIMOTHEVM, qui Theodosii aetate floruisse videtur, THOMAS REINESIVS *b*) et post hunc MVRATORIVS *c*), vir ceteroquin doctissimus, qui tamen lapides, ab aliis iam dudum vulgatos, primum a se vulgari, saepius et plerumque non sine negligentiae et oscitantiae culpa est opinatus. Quinti ἀνάστασιν debemus eruditissimo HANNIBALI DE ABA-

t) *ant. rom. tom. IIII.* siue *part.* VI. p. 8. et p. 143.

u) *commentario in ant. M. Artorii monimentum* p. 451.

x) p. IↃCXXXII. 4 et 5.

y) alterum lapidem dedit MVRATORIVS p. IↃCCCCXXIIII, *num.* 15. alterum, nomine archiatri paullisper mutato, p. IↃCCCCXXXVIIII. 3.

z) *itinerar. libr. III.* p. 91.

a) *voyage de Dalmatie, de Grece et du Leuant, tom. I.* p. 121.

b) *inscript.* p. 945.

ABATIBVS OLIVERIO *d*) CAII nempe TETTII, C. L. TESIAE, vti vocatur, ARCHIATRI PERITISSIMI, cuius lapidem itidem de nouo excudi curauit LVD. ANTON. MVRATORIVS. *e*) Sextus archiater eſt AVLVS, ASCLEPIADIS filius, ſolus, quem ex reliquis antea iam cognitis, primus ex graeco marmore protulit laudatus MVRATORIVS *nouo ſuo inſcriptionum theſauro. f*) Quae quidem marmora ſingula ſi inter ſe comparamus, probabili certe coniectura eo ducimur, vt archiatri nomen officii primum nomen fuiſſe, ſtatuamus, eius nempe, qui reliquis in libertorum et ſeruorum familia medicis praefectus fuit, quod vero poſteriori aeuo honoris quaſi cauſſa nobilioribus, qui vniuerſam medendi artem ſcientia comprehenderunt, tam in vrbe, quam in municipiis, et forte quoque in prouinciis, fuit tributum. *g*)

RARO

c) IↃCCCCLXXX. 6.

d) *marmor. Piſaurenſ.* num. LXIIII. p. 28.

e) p. IↃCCCCLXXX. 4.

f) p. CXVIII. 2.

g) De archiatris veterum non vna eſt doctorum virorum ſententia. Quod vt eo melius cognoſcatur, adſcribere hic liceat verba doctiſſimi ANNIBAL. DE ABATIBVS OLIVERII *notis ad marmora Piſaurienſia*, p. 152. Sic vero ille: Archiatros dictos fuiſſe medicorum principes, exiſtimauit PIGNORIVS *de ſeruis*. Nullum

RARO autem factum est, vt vnus medicus plures simul medicinae partes disceret,

lum autem inter medicos principatum fuisse, docet GOTHOFREDVS *ad l. 4. C. Theod. de Medic. et Prof.* idcirco archiatros adpellatos fuisse putat eos medicos dumtaxat, qui vel principi operam dabant, vel in principibus vrbibus, Roma scilicet et Constantinopoli, medicinam factitabant. Parum ea sententia probatur FABRETTO *inscr. domest. cap. IV.* p. 301. qui augustos non archiatris, sed medicis vsos fuisse, ex pluribus inscriptionibus obseruat. Accedit, quod FABRETTVM praetermisisse miror, non romani, seu constantinopolitani, sed municipalis archiatri memoriam exstare in vetusto marmore Polae in Illyrico, in GRVTERO pag. DCXXXII. 5. cui addimus nunc ex inscriptione nostra Pisaurensem archiatrum. Ea vero, quae de archiatris FABRETTVS attulit, haud meliora mihi videntur. Scribit enim, archiatros, vel medicos absolute eos ferme dictos fuisse, qui non medici partiales essent, vt ocularii, clinici, chirurgi, sed vniuersam medicinam callerent, et exercerent; quum archiatri a medicis expresse distinguantur *in l. 6. C. de professor.* ibi: *medicos et maxime archiatros.* Ego vero si post tantos viros sententiam meam proferre mihi fas sit, existimo, medicos dictos fuisse illos, qui medicinam suo periculo exercebant, quos hodie *medici Venturieri* appellamus, archiatros vero, qui a decurionibus electi, salario publico honorabantur. Enimuero in duabus legibus 9. et 10. eiusdem *tit.* codicis, in quibus de medicis ab ordine decurionum lectis seu legendis agitur, archiatri semper dicuntur. *Leg. 9.* archiatri scientes annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari etc. *Leg. 10.* Si quis in archiatri defuncti locum est promo-

ret, easque ad vſum et exercitationem reuocaret. Qualis fuit olim P. DECIMIVS P. L. EROS MERVLA, idem, quem Aſſiſii ſua pecunia viam ſternendam curaſſe, lapis MVRATORIANVS *b*) docet, *medicus clinicus*, *chirurgus* et *ocularius*, ſic vero eum vocat marmor GRVTERIANAM *i*):


P. DECIMIVS P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI. VIR.

Inprimis vero huc pertinere videtur CLAVDIVS AGATHÈMERVS, κατ' ἐξοχὴν, *medicus* vocatus, non addito aliquo ἐπιθέτῳ, quod is non partem medicinae excoluerat, ſed vniuerſam ſibi comparauerat, quodlibet morbi genus ſanandi, ſcientiam. Ac huius quidem medici mentio facta eſt in *marmoribus Oxonienſibus*:

promotionis meritis aggregandus. Plures enim medicos in quaque vrbe fuiſſe, quam qui ab ordine conducebantur, docet Iuſtinianus in §. item Romae 15. Iuſt. tit. de excuſat vbi eos ſolum medicos, grammaticos, rhetores a ſuſcipienda tutela excuſari vult, qui *intra numerum ſunt.* Haec OLIVERIVS. Addantur FABRETTVS *notis ad inſcriptiones domeſticas* p. 301. et CAROL. PATINVS *in antiquum Artorii monimentum* p. 452.

b) p. CCCCLXXIIII. 6.

i) p. CCCC. *num.* 7.

ΚΛΑΥΔΙΟС ΙΗΤΗΡ ΑΓΑΘΗΜΕΡΟС ΕΝΤΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ

ΠΑΝΤΟΙΗС ΔΕΔΑΩС ΚΡΑΙΠΝΟΝ ΑΚΕΣΜΑ ΝΟΣΟΥ

ΞΥΝΟΝ ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΜΟΙ ΚΑΙ ΜΥΡΤΑΛΕΙΣΑ ΣΥΝΕΥΝΩ

ΜΝΗΜΑ ΜΕΤ ΕΥСΕΒΕΩΝ Δ ΕΣΜΕΝ ΕΝ ΕΛΥСΙΟΙ

Claudius Agathemerus medicus hic iaceo,

omnigeni qui cognoueram praesentissimum remedium morbi,

commune hoc mihi est, et Myrtalae coniugi

monumentum, cum piis autem nos sumus in Elysio,

de quo idem iudicauit olim FABRETTVS, *medicos, qui ex partibus curationem adhibuerint, nomen* medicorum ἁπλῶς *nequaquam meritos fuisse*, non sine caussa ratus, *sed eos tantum, qui omnium morborum remedia cognouissent*, et qualis fuerit Claudius ille in laudatis marmoribus Anglicanis.

RES vtut sit, in vniuersa hac medicorum veterum familia, ocularii permagnum olim dignitatis et honoris gradum sunt consequuti, adeo, vt nullum fere medicorum genus frequentius ocularibus fuerit. Quare et in inscriptionibus romanis saepissime

pissime eorum fit mentio. Commemorantur enim in his: P. ATTIVS ATIMETVS, Augusti medicus ab oculis, in marmore GRVTERIANO *k*), idem forte, cuius SCRIBONIVS LARGVS *l*) meminit: TIBERIVS CLAVDIVS apud MVRATORIVM: *m*) P. COLIVS, seu potius COELIVS, PHILOGENES apud eumdem *n*) et MARQVARD. GVDIVM *o*): Q. COELIVS, Q. L. NICOMEDES, qui medicus ocularius et simul seuir coloniae Iuliae Fanestris fuit, vt ex prisco marmore IO. IAC. BOISSARDI *p*) et IANI GRVTERI *q*) discimus: Q. COELIVS NIGER, cuius lapidem exhibent THOMAS REINESIVS *r*), RAPHAEL FABRETTVS *s*) et CAROLVS CAESAR MALVASIA *t*): Q. CAERELLIVS QVINTILIANVS, cuius sigillum, pyxidibus vnguentariis signandis adhibitum, exstat apud LVD. ANTON. MVRATORIVM *u*): C. CAP. SABINIANVS, de quo idem fere sigillum habemus, a SPONIO *x*) in lucem publicam editum: C. DOMITIVS DEME-

 TRIVS

k) IↃLXXXI. 2.

l) *compos. medic.* 120.

m) p. IↃ CCCCXXXXV. 2.

n) p. IↃ CCCCLXIIII. 4.

o) p. CCXVIIII. 2.

o) *tom.* IIII. *antiquit.* p. 87.

q) p. CCCCXVI. 8.

r) *class.* XI. *num.* 8. p. 611.

s) *insc. domest. cap.* IIII. p. 300.

t) *marmoribus Felsineis*, p. 219.

u) p. IↃVIII. I.

x) *miscellaneis eruditae antiquitatis*, p. 237.

TRIVS apud RAPHAEL. FABRETTVM *y*) et CAROLVM CAESAREM MALVASIAM *z*): P. DECIMIVS P. L. EROS MERVLA, medicus clinicus, chirurgus et ocularius, cuius marmor apud GRVTERVM *a*) et corrupte apud RICOLVIVM et RIVAVTELLAM *b*) legitur: CN. HELVIVS CN. L. IOLLA apud GRVTERVM *c*): TIBERIVS IVLIVS CVTISONVS, Augusti libertus, apud BOISSARDVM *d*), GRVTERVM *e*) et PATINVM *f*), idem sine omni dubio, quem MVRATORIVS *g*) CYTISORVM scribit: M. IVLIVS SECVNDVS, cuius memoriam seruat lapis sepulcralis, ab ill. marchione SCIP. MAFFEIO *h*) et LVD. ANT. MVRATORIO *i*) in lucem publicam editus: C. IVLIVS DIONYSIODORVS, cuius sigillum apud laudatum MAFFEIVM *k*) reperitur: M. IVLIVS CHARITO, qui itidem ad signandas pyxides suas vnguentarias sigillo vsus est, descripto a MVRATORIO *l*) aeque ac MAF-

FEIO

y) *inscript. domest* p. 300. *num.* 276.

z) *marmorib. Felsin. sect.* V. *cap.* I. p. 219.

a) p. CCCC. n. 7.

b) *marmoribus Taurinensibus*, *part.* I. p. 231.

c) p. IↃCXXXIIII. 2.

d) *libr.* IIII. *antiquit.* p. 84.

e) p. IↃLXXXI. 8.

f) *comm. in antiquum Artorii monimentum*, p. 451.

g) p. IↃCCCCXXVII. 5.

h) *museo Veronensi* p. 135. *num.* 2.

i) p. IↃCCCCVIII. I.

k) *mus. Veron.* p. CXXXV. 3.

l) p. IↃVIII. 3.

FEIO *m*): M. LATINIVS M. L. *medicus ocularius*, HERMES, cuius lapidem exhibet RAPHAEL FABRETTVS *n*): P. NVMITORIVS P. L. ASCLEPIADES, ſeuir Veronenſis et medicus ocularius apud GRVTERVM *o*), CONVPHRIVM PANVINIVM *p*) et SCIP. MAFFEIVM *q*): M. PEVTVCA, de quo lapidem dedit modo laudatus MAFFEIVS *r*): C. RVTILIVS EVTHETVS, in marmore RAPH. FABRETTI *s*): SILICIVS medicus ocularius, quem GRVTERVS *t*) nobis cognitum ex eius inſcriptione fecit, repetita a LVD. ANT. MVRATORIO *u*): CAIVS SVLPITIVS HYPNVS, et CAIVS STATIVS SABINIANVS, quorum ſigilla exhibet MVRATORIVS *x*). TIBERIVS CELADIANVS, Tiberii Caeſaris Auguſti medicus ocularius, legitur in marmore apud GRVTERVM *y*), M. vero VLPIVS HERACLES in binis ſigillis, a SPONIO *z*) in lu-

 cem

m) *antiquitatibus Galliae*, p. 81.

n) *inſcript. domeſt.* p. 300. *num.* 277.

o) p. CCCCXXXXIII. 4.

p) *antiquitatibus Veronenſibus*, p. 242.

q) *Verona illuſtrata*, *part.* I. p. 355. *num.* 23.

r) *muſeo Veronenſi*, p. 284. *num.* I.

s) *inſcript. domeſt.* p. 299. *num.* XXV.

t) p. IↃCXXXV. 3.

u) p. IↃCCCCXXVII. 14.

x) p. IↃVIII. 2. et 4.

y) CIↃCXI. 6.

z) *miſcellan. eruditae antiquitatis*, p. 237.

cem publicam editis. Quibus merito adiunguntur ii, quorum in ſcriptoribus graecis pariter ac latinis mentio facta eſt, nominatim CAPITO, HERMIAS, HEROS, SERGIVS, PACCIVS, GALLIO, GAIVS, STOLVS, BRITANNICVS et ZOILVS apud GALENVM *a*): ATIMETVS apud SCRIBONIVM LARGVM *b*): EVELPIDES apud CELSVM *c*), vt de reliquis taceamus.

AC de his quidem medicis ocularIis, antequam ad alia diſcedamus, haud immerito quaeri poteſt, ſeruine aut liberti fuerint omnes, an ex iisdem nonnulli quoque ingenui? ROBORTELLVS, tum FERRETIVS aliique multi in ea olim fuere opinione, medicinam Romae non niſi a ſeruis excultam fuiſſe, e quibus nonnulli poſtea manumiſſi fuerint. Verum cauſſam medicorum ea in re haud infeliciter in ſe ſuſcepit defendendam doctiſſimus CASAVBONVS *d*) argumentisque ſatis grauibus demonſtrauit, ſi in ſeruorum romanorum familiis medicos fuiſſe, legamus, idcirco effici haud poſſe, omnes artis huius cultores fuiſſe conditionis ſeruilis. CASAVBONVM ſequuti ſunt non ſolum

DRE-

a) *de compoſ. med. ſec. loc.* III. I. IV. 6.

b) *compoſ.* CXX.

c) *libr.* VI. *cap.* 6.


d) *not. ad Sueton. vit. Caeſ. cap.* IIII.

DRELINCOVRTIVS ſingulari de hoc argumento oratione, in lucem publicam edita, ſed etiam eruditiſſimus SPONIVS aliique, de quibus viri cel. IVL. CAROLI SCHLAEGERI *hiſtoria litis de medicorum, apud veteres romanos degentium, conditione* videatur e). Ac is quidem SPONIVS f), ex inſcriptionibus inprimis, non omnes, qui Romae medicinam fecerint, ſeruos fuiſſe, probare ſtuduit, inueniri enim haud paucos ingenuos ex antiquis celebribusque romanis familiis, qui artem medicam exercuerint, et ex quorum lapidibus, honeſtiſſimae eos et originis et conditionis fuiſſe, haud obſcure, certe non ſine probabilitate, diuinari poſſit. Addit vir doctiſſimus, multos graecos homines ingenuos Romam veniſſe, iusque ciuitatis conſequutos eſſe, qui ibidem morbis ſanandis dederint operam, neque defuiſſe alios, eiusdem artis ſcientia imbutos, qui ampliſſimis in republica honoribus eſſent functi, adeo, vt iniuriam faciat ſalutari huic diſciplinae, qui eamdem non niſi a ſer-

 uis

e) edita Helmſtad. CIↃ IↃCCXXXX. 4.

f) *in recherches curieuſes d'antiquité*, in quibus p. 419. exſtat *diſſertation, qu'il n'eſt pas vray, que ce fuiſſent ſeulement des eſclaves qui pratiquaſſent la Medecine à Rome, ni que les Medicins en ayent jamais eté bannis.*



uis Romae excultam esse, arbitretur. Quae quidem omnia fundamento suo neutiquam destituta, sed ita potius comparata sunt, vt, quae SPONIVS de medicis romanorum in vniuersum, eadem de ocularüs nominatim summo iure dici affirmarique posse, nobis videantur. Nam etsi in seruis ocularios fuisse, tanto minus negari potest, quo luculentius extra omnem dubitationem ea res ponitur ILLYRII CELADIANI marmore *g*), qui ocularius medicus et in Tiberii Caesaris Augusti seruorum familia fuit: etsi neque hoc quisque negare poterit, plurimos eorum, quorum memoriam prisca nobis conseruarunt marmora, libertorum numero fuisse adscriptos, de quibus admodum probabilis est coniectura, eosdem adhuc seruos, ante manumissionem suam, oculorum vitio laborantibus opem tulisse. Hoc tamen simul non sine summa probabilitate adfirmare licet, fuisse in his medicis ocularüs etiam ingenuos, quos nascendi conditio non ad infimam et vilem seruorum sortem abiecerat. Quo quidem referendum esse ducimus M. IVLIVM SECVNDVM in marmore apud illustriss. marchionem SCIP. MAFFEIVM *h*):

M. IVL.

g) apud GRVTERVM p. CIↃCXI.6.

h) *museo Veronensi* p. CXXXV.

M. IVL. SECVNDI
MEDICI OCVL.
IN. FR. P. XIIII.
IN. AG. P. XIIII.

TIBERIVM porro CLAVDIVM apud MVRATORIVM *i)*:

TI. CLAVDIO
MEDICO. OCVLARIO
VIX. AN......
L. COCCEIA. VIRO
SVO

Tum C. RVTILIVM EVTHETVM apud FABRETTVM *k)*:

C. RVTILIO. EVTHETO
MEDICO. OCVLARIO
RVTILIA. MYRINE
PATRONO. EIDEM. CONIVGI

Denique CN. DOMITIVM apud eumdem *l)*:

CN. DOMITIO. DEMETRIO
MEDICO. OCVLARIO
PATRI. SVAVISSIMO
DEMETRIVS. FILIVS. FECIT. cet.

Ocu-

i) p. IↃ CCCCXXXXV. 2.
k) *inscript. domest.* p. 299. *num.* 25.
l) p. 300. *num.* 276.

Ocularios vero medicos seuiratu quoque in coloniis et municipiis functos esse, demonstrat PVBLII NVMITORII ASCLEPIADIS exemplum, *seuiri Veronensis*, quemadmodum in marmore apud GRVTERVM *m*) vocatur:

P. NVMITORIVS P. L. ASCLEPIADES
IIIIII. VIR MED. OCVLAR. SIBI et
SEMPRONIAE. L. F. GALLAI VXORI
TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT

tum aliud, Q. COELII NICOMEDIS, *seuiri coloniae Iuliae Fanestris*, apud IO. IAC. BOISSARDVM *n*) et IANVM GRVTERVM *o*):

Q. COLIVS. Q. L. NICOMEDES
MEDICVS. OCVLARIVS. SEX. VIR
COL. IVL. FANESTRIS.

TANDEM et hoc probe tenendum est, medicorum veterum duplex olim fuisse genus, alterum eorum honoratius, qui Romae, aut alio loco, firmam, fixam stabilemque sedem habuere, qui quaesiti ab aegris sunt, alterum vilius, qui aegros quaesiuere, ac circumforaneorum instar, per ciuitatum fora, regiones, vrbiumque vicos oberrarunt et praeparata a se medicamen-

m) p. CCCCXXXX.4.
n) *tom.* IIII. *antiquit.* p. 87.
o) p. CCCCXVI.8.

camenta vendiderunt. Ac hi quidem ſunt, quos περιοδευτὰς antiquitus adpellatos eſſe, videmus *p*), de quibus MODESTINVS *q*) iurisconſultus, *medici*, inquit, qui *περιοδευταὶ, id eſt, circulatores vocantur, quemadmodum a reliquis muneribus, ita à tutela, et cura requiem habent*, et qualis fuit L. SABINVS PRIMIGENIVS apud IO. BAPT. FERRETIVM *r*):

L. SABINVS L. L.

PRIMIGENIVS

ORTVS AB IGVVIO MEDICVS, FORA MVLTA SECVTVS

ARTE FEROR NOTA NOBILIORE FIDE

ME CONSVRGENTEM VALIDA FORTVNA IVVENTA

DESTITVIT RAPIDIS IMPOSVITQVE ROGIS, cet.

AD quale vero medicorum oculariorum genus PHRONIMVS noſter pertinuerit, facili coniectura diuinari poteſt. Videtur enim ad ocularios περιοδευτὰς referendus eſſe. His enim ea ipſa fuit conſuetudo, quae Phronimo noſtro, vt medicamenta prae-

p) legatur CLAVDIVS SALMASIVS *exercitationibus Plinianis*, p. 739.

q) *leg. 6. §. 1. digeſt. de excuſ. tut. extraord. crim.*

praeparata pyxidibus indita et ſignata per vrbium fora circumferrent ac diuenderent. Statum ipſius ſi cogitamus, mallem eum profecto libertorum numero adſcribere, quam hominum ingenuorum. Solo enim cognomine, prout ille, magis et frequentius primorum auguſtorum caeſarum aeuo vtebantur liberti, quam ingenui. Accedit, quod graecum cognomen geſſit, libertis et ſeruis longe familiarius, quam ingenuis. Ac haec quidem omnia luculentius patebunt, ſi de ipſo eius nomine nonnulla notatu digna iam in medium proferemus.

NOMEN, quod medicus noſter ocularius in lapide gerit, ſic comparatum eſt, vt omnia in iſto romanam conſuetudinem, primorum inprimis poſt ſeruatorem natum ſeculorum, ſapere videantur. Gerit medicus noſter graecum nomen, more iſtius aeui, quo ſerui et liberti graeca nomina ſibi adſciſcere, graecis nominibus, quaſi maior in his ineſſet aut gratia, aut dignitas, vocari ſe cupierunt *s*), id quod exempla CALLISTI, ANTHI, EROTIS, DIADVMENI, ELAPHIONIS, EVMOLPI, THEOPHI-

r) *muſis lapidariis* p. 302.

s) conferantur REINESIVS *notis ad inſcriptiones* p. 228. et GORIVS *not. ad columbar. ſeruor. et libert. Liuiae Aug.* p. 73.

PHILETIS, aliorumque plurium *t*) confirmant. Vtitur porro solo cognomine omisso praenomine et nomine gentilitio, quod itidem fecere ea aetate cum liberti, tum qui artem aliquam profitebantur. Sic in libertis Liuiae occurrunt praeter alios Tyrannus, Pasicrates, Anthus, Eros, Amaranthus, Diadumenus *u*) aliique. Apud GRVTERVM habemus Camurium, Communem, Corymbionem et Hilarum *x*), apud REINESIVM vero Olypum, Onesimum et Gaudentium *y*), apud MVRATORIVM denique Auienum, Callinicium, Callistum, Casinium et Florentinum *z*). Inprimis vero hoc eis in vsu fuit, qui artem aliquam didicerant, id quod exempla Philippi, Amphiati et Anterotis apud GRVTERVM *a*), Democratis, Fausti, Glaphyri, Hilari, Manii, Mansueti, Phileti, Philodami et Troili apud MVRATORIVM *b*), Ela-

t) conf. MVRATORIVS *inscr.* p. CIↃIↃCXXXXVIIII. 15. et 18. coll. p. IↃCCCCLI. 2. et p. IↃCCCCCXXXXVII. GRVTERVS p. IↃCXXXV. 6. GORIVS *columbar. seruor. et libert. Liuiae* p. 76. 78. 92. et alibi saepius.

u) p. 65. 76. 78. 88. et 92. dicti *columbarii*, a cel. GORIO editi.

x) p. IↃCCCCV. 8. IↃCCCCVII. 10. IↃCCCCVIII. 16. IↃCCCCXIIII. 2.

y) p. 622. et 628.

z) p. CIↃIↃCXXXXI. 1. CIↃIↃCXXXXIIII. 15. 18. CIↃIↃCLII. 9. CIↃIↃCLXXVII. 6.

a) p. IↃCXXIII. 5. IↃCXXIIII. 5. IↃCXXXVII. 3.

b) p. IↃCCCCXXXXVIIII. 6. IↃCCCCLII. 8. IↃCCCCLV. 5. IↃCCCCXXXVII. 3.

Elaphionis aliorumque apud REINESIVM *c*) docent. Eamdem consuetudinem prae ceteris medici imitati esse videntur, quo inprimis pertinent CORNVTVS apud BOISSARDVM *d*) et GRVTERVM *e*): MENANDER, TALLVS, ALEXANDER et THEOPHILETES apud eumdem *f*): CHARINVS, LIMENIVS et NICOMEDES apud MVRATORIVM *g*), maxime vero, quod caput rei est et ad nostrum potissimum argumentum ἀμέσως pertinet, *medici ocularii.* Ad quorum numerum referendus est apud GRVTERVM *h*) Silicius:

SILICIVS. MEDI
CVS. AB. OCVLIS

tum ex MVRATORIO *i*) Q. CAERELLIVS QVINTILIANVS, qui, omisso nomine gentilitio et praenomine, QVINTILIANVM se tantummodo vocauit, porro CAIVS SVLPITIVS HYPNVS, qui HYPNI tantum nomen gessit, apud EVMDEM *k*), denique C. CAPITO SABINIANVS *l*), qui solo cogno-

c) *class.* XI. *inscr.* p.619.
d) *tom.* VI. *antiq.* p.15.
e) p.IↃCXXXIII.9.
f) p.IↃCXXXIIII.7. IↃCXXXV. 4. et 7.
g) p.IↃCCCCXXXXIIII. 3. IↃCCCCLXII.3. IↃCCCCLXVII. *num.* I.
h) p. IↃCXXXV. 3.
i) p. IↃVIII. I.
k) ibid. *num.* 2.
l) apud SPONIVM *miscellan. erudit. antiquitatis*, p. 237.

gnomine contentus, reliqua more istius aeui neglexit, seque SABINIANVM scripsit. Ipsum ceteroquin PHRONIMI nomen, a graeco *Φρόνιμος*, *prudens*, priscis romanis, inprimis libertis, haud infrequens et inusitatum fuisse, antiqua GRVTERI et MVRATORII marmora satis superque demonstrant. In his leguntur C. DIDIVS PHRONIMVS *m*), T. PVBLICIVS PHRONIMVS *n*), T. PHRONIMVS vna cum matre sua PHRONIME *o*), C. SENTIVS PHRONIMVS *p*) et C. IVLIVS PHRONIMVS *q*), ne de aliis Phronimis *r*) dicamus, qui, vti noster, ἁπλῶς solo cognomine scripti sunt, omisso nomine gentilitio et praenomine.

IAM vero, quaenam sint Phronimi huius contra oculorum morbos medicamenta, merito quaeritur. In lapide nostro primi lateris litteras PHRONIMDIAPSOR OPOBALSADCLAR interpretandas esse existimamus: PHRONIMI DIAPSO*ricum* OPO-

m) vide GRVTERVM p. IↃCCLXXVIII. 4.

n) apud EVMDEM p. IↃCCCXX. 4. Inscriptio haec legitur etiam p. CIↃ CXXXXI. 2.

o) apud EVMDEM p. IↃCXVI. 8.

p) ibid. p. CIↃCXXII. 8.

q) ib. p. IↃLXXXIIII. et apud MVRATORIVM p. IↃCCCCXXVII. 4.

r) apud MVRATORIVM p. CXI. 5. IↃCCCCXXVII. 12. quae repetitur p. CIↃ CCCCLXXXVIIII. 6.



OPOBALS*amum* AD CLAR*itatem oculorum.* Medicamenta ψωρικὰ, quae ἀπὸ τῆς ψώρας, a ſcabiei genere, nomen ſuum tulerunt, priſcis medicis haud incognita fuere, DIOSCORIDI inprimis, AETIO, MARCELLO; tum SCRIBONIO LARGO et aliis. Ac is quidem vnguenti cuiusdam ψωρικοῦ mentionem facit ad caliginem oculorum diſſipandam. COLLYRIVM, inquit *s*), *pſoricum ad caliginem et ad aspritudinem oculorum, quam ξηροφθαλμίαν adpellant.* Quare huius generis medicamentum Phronimi noſtri fuiſſe, coniectura haud improbabilis videtur. Quod vero *opobalſamum* id vocauit non ἁπλῶς ψωρικὸν, ſed διαψωρικὸν, feciſſe hoc videtur medicorum veterum more et conſuetudine, qui medicamentis compoſitis, quoad iſta a ſimplicibus diſtinguuntur, particulam διὰ haud raro praefixerunt, vti vocabula *diarrhodon, diamyſus, diasmyrnion, diapſoron, dialepidium, diaglaucium,* cum in medicorum veterum ſcriptis, tum inprimis in oculariorum lapidibus frequentia, ſatis ſuperque demonſtrant. Qua in re hoc vnicum addere liceat, nullum fere olim ex his oculariis fuiſſe medicis, quin medicamentum aliquod, modo ad depellendam ab oculis caliginem, modo ad reſtituendam viſus

s) *compoſit. medic.* XXXII. p.32.

visus aciem, habuerit. Quo pertinet, praeter alios, Caius Capito Sabinianus apud SPONIVM *t*), qui *chloron* vnguentum, viridi colore, oculis grato, vendidit AD CLAR*itatem oculorum*, tum et DIAPSORICVM quoddam AD CALIG*inem* oculorum dissipandam. *Isochryson*, id est, *medicamentum auro contra carum*, splendida enim plerumque medicamentis suis veteres imposuere nomina, commendauit eodem oculorum vitio laborantibus M. IVLIVS CHARITO apud ill. march. SCIPIONEM MAFFEIVM *u*), vt de C. Sulpitio Hypno apud MVRATORIVM *x*) et Caio Capitone Sabiniano apud SPONIVM *y*) deque reliquis taceamus.

IN secundo lapilli nostri latere incisae sunt litterae: PHRONIMDIASMRN POSTIMPETLIPEXOV, quae, ad voces redactae, nostra coniectura legi debent: PHRONIM*i* DIASM*y*RN*ion* POST IMPET*um* ET LIP*pitudinem* EX *Oculo Vulnerato*. Medicamentum, quod Phronimus noster commendat, ἀπὸ τȣ̃ σμυρνίȣ nomen habet, quo herbae genus, ἀπὸ τῆς σμύρνης, siue a myrrhae odore, designasse


 vete-

t) *miscellan. erud. antiquit.* p. 237.

u) *ant. Gall.* p. 81. *coll.* MVRATORIO p. IↃVIII. 3.

x) p. IↃVIII. *num.* 2.

y) *miscell. erudit. antiquit.* p. 237.



veteres, auctor est DIOSCORIDES, tum THEOPHRASTVS aliique. Videntur autem veteres medici, vt plura alia vocabula, quae plantas, herbas, frutices, bitumina idque genus alia designant, sic et hoc σμύϱνιον non vna ratione vsurpasse, aliis istud τὸ ἱπποσέλινον vocantibus, aliis petroselinum cilicium, aut olus atrum romanum, vt CLAVDIVS SALMASIVS z) egregie monstrauit. *Duplex*, inquit, *hoc nomine herba in generibus differentibus, aliud saxis et sicco gaudet, vnde et πέτϱοσέλινον dictum: aliud humidis et opacis. Atque inde Plinii error, non distinguentis inter smyrnium illud, quod est olus atrum romanum, et aliud verum smyrnium, quod est petroselinum Cilicium. Hinc scripsit, credidisse veteres smyrnium loca petrosa amare, cum posteriores deprehenderint repastinato seri debere. Atqui de altero smyrnio id veteres tradidere, non de atro olere, quod smyrnium est in repastinato et humido serendum. Aetas posterior hoc exemplum secuta, haec etiam nomina indiscreta habuit et inuicem permutauit.* Pergit deinde de ipso σμυϱνίῳ: THEOPHRASTO *ἱπποσέλινον dicitur, quod est verum Diosocoridis smyrnium, ex quo sinceram et optimam myrrham colligi dixit radice incisa. Hanc myrrham, quae e smyrnio*

z) *homonymis hyles iatricae*, *cap.* XVI. p. 14.

nio colligebatur, *recentiores Graeci* σμύρναν τρωγλῖτην *vocarunt*, *cum apud veteres hoc nomen habeat myrrha Troglodytica*, *de qua in exercitationibus. Neophytus*: σμύρνα τρωγλῖτης, τὸ πετροσέλινον. Paullo deinde poſt: *atqui certum eſt*, *ſmyrnium eſſe vel hypposelinum Theophraſti*, *ex quo Boeotica illa myrrha*, *vel Achaica eliciebatur*. Qua in re alii, ad quod τῆς σμυρνίης genus hoc diaſmyrnium vel, vt SCRIBONIVS LARGVS habet, *diaſmyrnes*, pertinuerit, videant. Res vtut ſit, diaſmyrnium hoc adhiberi Phronimus voluit *poſt impetum et lippitudinem ex oculo vulnerato*, ſic enim ſupra data lapidis noſtri verba legenda exiſtimamus. De lippitudine oculorum in praeſenti nihil dicemus, contra quam, nemo ignorat, in veterum medicorum ſcriptis plura remedia inueniri, de impetu vero, cuius Phronimus mentionem fecit, pauca notanda eſſe videntur. Non ignoramus, in aliis medicorum lapidibus hoc quoque vocabulum reperiri, inprimis in binis SPONIANIS *a*), altero M. Iulii Heracletis, qui duplex remedium ad impetum habuit, *cycnarium* et *diarodon*, altero C. Capitonis Sabiniani, qui *nardinum* quoddam *ad impetum oculi* vendidit, ex ſpica nardi forte compoſitum. Neque vero et

a) *miſcell. erud. antiq.* p. 237.



hoc nos fugit, apud MARCELLVM *b*) impetum in numero morborum, quibus oculi obnoxii esse soleant, haberi. Verum si quid nos sentiamus, libere expromere liceat, videtur nobis impetus iste hoc loco non tam morbi genus, quam violentam et improuisam percussionem, qua oculus illiditur et percellitur, designare. Ac post talem quidem impetum, si laesus oculus madeat, siue contra ipsum hunc nimium oculi humorem vsurpari iubet Phronimus suum diasmyrnium.

IN tertio lapidis nostri latere Phronimus vnguentum habere et vendere se dicit contra aspritudinem, et citatrices, EVODES dictum, sic vero ἐπιγραφὴν lateris huius explicandam esse arbitramur. Sine dubio graecum hoc est vocabulum εὐώδης, ab ὄζω *oleo*, et εὖ *bene*, deducendum, vnde vocabula εὐοσμὸς, *bene olens* et εὐοσμία, *bonus odor*, apud DIOSCORIDEM aliaque originem habuere. Idem fere, seu potius *vnguentum*, *suauem odorem habens*, significare hoc loco videtur vocabulum *euodes*, graece apud HOMERVM, PLVTARCHVM, DIONYSIVM *periegetam*, ATHENAEVM, HESYCHIVM aliosque obuium. Sic vero olim omnia medicamenta, quibus odoris suauitas gratiam aliquam conciliabat,

b) *libro de medicamentis*.

bat, vt ex SCRIBONIO LARGO ſuſpicari licet, vocata eſſe videntur. Phronimus contra ſingulari a ſe compoſito vnguento nomen hoc impertire voluit. De ipſa aſpritudine oculorum et commoda, vitio huic medendi, ratione multa habent veteres medici, inprimis MARCELLVS et SCRIBONIVS LARGVS.

In quarta inſcriptione *penicilli* mentio fit, cuius vſum ad omnem lippitudinem eſſe, Phronimus contendit. Itaque medicus hic ocularius penicillos quoque vendidit? Videtur certe, ſi quidem vera ſunt, quae TERENTIVS *c*), SCRIBONIVS LARGVS *d*), CELSVS *e*), aliique referunt, penicillos ex linteolis concerptis, ex medulla ſambuci, aut ſpongia factos, adhibitos olim vulneribus fuiſſe, vel abſtergendis, vel aperiendis, vel vtne coirent et clauderentur. Probabile vero eſt, Phronimum ſingulare penicillorum mollium genus vendidiſſe, quo nimius humor, a lippis defluens oculis, leniter et ſine cutis, quae oculum ambit, laeſione abſtergeretur.

HACTENVS de lapidis noſtri inſcriptionibus. Iam vero, quem olim vſum habuerint tales inſcripti medicorum veterum

 lapil-

c) *eunuch. act.* IIII. *ſcen.* 7. v. 7.

d) *compoſit. medic.* CXXXII. p. 81. et CCXXVIII. p. 124.

e) *de medic.* VII. c. 7. v. 6.

lapilli, haud immerito quaeritur. IOANNES SMETIVS f) ingenue ignorantiam suam fatetur, ac *me sustineo*, inquit, *et ingenue fateor, quid superiora significent, mihi non liquere. De illis quid sentiam, non facile dixerim, saepe mecum cogito, quid sibi illa velint. Ego tamen nihil adhuc affirmare audeo, et iuuenili meo iudicio non tantum credo, videant, qui in castris litterarum veterani, et quibus emunctae magis purgataeque sunt nares.* IAC. SPONIVS g) quoad nos quidem scimus, primus fuit, qui aliquam de his lapidibus Smetianis fecit coniecturam. *Prodiere*, inquit, *ante paucos annos antiquitates neomagenses, quibus Smetius, vir eruditus, suum rerum antiquarum gazophylacium nobis exhibet, et eas inter, lapides duos virides quadratos in margine scriptos, quorum vsum se ignorare fatetur. Ego puto fuisse opercula pyxidum, in quibus vnguenta, olea atque collyria reseruabant pharmacopolae, quemadmodum apud nostros chirurgos in vsu est gestare pyxides, in quibus quatuor aut quinque vnguenta varii generis habent ad vsum.* SPONIVM sequuti sunt reliqui fere omnes, qui eius generis lapillos quadratos in lucem publicam emiserunt, nominatim ill.

mar-

f) *antiquit. Nouiomagensibus*, p. 98.

g) *miscell. erudit. ant.* p. 236.

marchio SCIPIO MAFFEI, qui de ſuo lapillo ſcribit, fuiſſe *vnguentariae thecae operculum*. Quam quidem nos ſententiam parum habere probabilitatis, non ſine cauſſa opinamur. Primum enim quatuor lapillorum horum latera inſcripta ſunt, aliud aliis medicamentis. Quis vero credat, ſingulis pyxidibus, in quarum qualibet vnicum tantum medicamentum fuit, datum fuiſſe operculum quatuor vnguentorum nominibus inſcriptum. Deinde, ſi operculum fuiſſet eiusmodi lapis, inſcriptiones hercle non in lateribus illius, ſed ſuperiore parte inciſae fuiſſent. Latera enim pyxidis margine teguntur, adeo vt nullum plane vſum habuiſſent eiusmodi ἐπιγραφαὶ, ſi operculorum loco tales lapides adhibiti fuiſſent. Accedit inuerſus litterarum ductus a dextra ad ſiniſtram. Is vero manifeſte declarat, lapillos eiusmodi non ad tegendas, ſed ad ſignandas pyxides vnguentarias adhibitos fuiſſe. Nam ſi lapillis his, tanquam operculo quodam, texiſſent pyxides, quo, quaeſo, conſilio inuerſe duxerunt litteras, a dextra ad ſiniſtram? Obſignaſſe potius vel ſignaſſe iisdem videntur pyxides ſuas, impreſſo lapilli latere in ceram, quo demum facto, litterae rectae adparent et more conſueto leguntur. Denique, quare foramen factum ſit in medio operculi,



contra ipſum operculi vſum, plane non videmus. Ex quibus omnibus, SPONIANAM ſententiam non magnam prae ſe ferre veri ſpeciem, haud obſcure liquet.

QVARE lapillum noſtrum, haud aliter ac reliquos, iam ante in lucem editos, ſigillum eſſe, ſtatuimus, quo vſus olim fuerit Phronimus medicus ocularius ad ſignandas pyxides ſuas vnguentarias. Cui ſententiae haud vulgarem probabilitatem conciliat cum inuerſus litterarum ductus, ex quo effici poſſe putamus, ſigillorum loco vſos his lapillis medicos eſſe, tum et id ipſum, quod ſtudioſe veteres medicamentorum, a ſe inuentorum, compoſitiones celarunt *b*). Neque enim tum defuere fraudulenti homines, qui emtoribus vnguenta adulterina pro bonis obtruderent, aut arcanam aliorum artem imitantes, quae ipſi inepte concoxerant, pro veris et germanis aliorum medicamentis falaciſſime venditarent. Quam propter fallaciam et vt germanis huius generis vnguentis fides ſua conſtaret, pyxides ſignabantur, ſigno officinae, aut nomine medici iisdem impreſſo.


ANTE-

b) videantur, quae ea de re cel. PETRVS WESSELINGIVS adnotauit, *obſ. de veterum medicis oculariis*, *vol.* III. *actor. ſoc. lat. Ienenſ.* p. 48.

ANTEQVAM vero quam dimittamus lapidem noſtrum et huic commentationi finem imponamus, tria adhuc de illo notanda eſſe, videntur. Primum omnes fere huius generis lapides viridis olim fuere coloris. Saltem id de plerisque animaduerterunt interpretes. MAFFEIVS ſuum, quem in *Galliae antiquitatibus ſelectis i)* ediderat, diſerte *lapillum quadratum ſubuiridem* vocat. Id fere ſuſpicari licet de altero Maffeiano, qui in *Muſeo Veronenſi k)* deſcriptus legitur. De ſuo pariter SMETIVS *l)* obſeruat, eſſe *lapidem viridem*, *politum* et *quadratum*. Idem de lapillis ſuis SPONIVS *m)* confirmat, vocans eos *virides*, *in quorum marginibus inſcriptiones legantur*. In MVRATORIANIS *n)* is, qui primo loco poſitus, eiusdem eſt coloris, forte et reliqui, de quorum tamen colore nil ibi adnotatum reperimus. Ac huius quidem coloris rationem reddit SPONIVS, noſtra ſententia, haud improbabilem. *Collyriis*, inquit, *adſeruandis virides hosce lapides ſeligebant*, *quod hisce color ſit oculorum amicus*, quaſi idcirco et ocularii deberent eumdem colorem in thecis, pyxidibus et ſigillis ſuis vnguentariis adfectare. Lapis ipſe, vt ſupra iam obſeruauimus, ad iaſpidis genus referendus eſt.

SPO-

i) p. 79.
k) p. 135.
l) *ant. Nouiom.* p. 96.
m) *miſcell. erudit. ant.* p. 232.
n) p. IↃVIII.

SPONIVS putat eſſe priſcorum molochitem, ſiue, vt alii, a graeco μαλαχὴ, ſcribunt, malachitem, de quo PLINIVS: o) *non translucet molochites, ſpiſſius virens, a colore maluae nomine accepto.* Sic fere noſter lapillus, quemadmodum malachitem deſcripſit PLINIVS. Iaſpidem vero eumdem vocamus, generis ratione habita, quo omnes lapides calcareis duriores, qui *continui* vocantur, et perlucidi haud ſunt, ſiue igne in calcem abeant, ſiue in maſſam aliquam vitream, *iaſpidis* vocabulo vulgo comprehendi ſolent.

DEINDE de ſcribendi compendiis, qualia in lapillo noſtro cernuntur, nemo ignorat, eorum vſum antiquum quidem, ſed in lapidibus perrarum et non niſi propter ſpatii anguſtiam in nummis vſitatum fuiſſe. Tantum vero abeſt, vt ea res ſuſpectam reddere fidem, aut aetatem monimenti noſtri poſſit, vt vtramque magis ſtabiliat ac confirmet. Primum enim, ſi in nummis propter ſpatii anguſtiam ſcribendi compendia adhibita eſſe, videmus, ſummo certe iure adhiberi eadem quoque in noſtro monimento potuere, in quo ſpatium, litteris incidendis deſtinatum, aeque haud maius eſt, ac in plerisque nummis eſſe ſolet. Deinde ipſa, litteras contrahendi, ratio in noſtro monimento maxime conſentanea eſt cum ea,

o) *libr.* XXXVII, *cap.* 8.

ea, quam in antiquis romanorum monimentis deprehendimus. Contrahere enim litteras ſic, vt pars vnius figuram ſimul alterius referat, quemadmodum in figuris ꝶ. ꝶ. ꝶ. ꝶ. obſeruamus: alteram altera, vti in noſtro lapillo litteram O, minorem effingere, vt ſpatio conſulatur: aliam alii imponere, vti τὸ I impoſitum eſt τῷ N et M, itidem anguſti ſpatii cauſſa, haec omnia a priſca romanorum conſuetudine neutiquam abhorrent. Sic apud SMETIVM *p*) in marmore, Antoninorum tempore facto, legitur ꝶ. pro ET. Apud GRVTERVM in vocabulo POSVERVNT binas vltimas litteras contractas, ꝶ. exhibet lapis, vt HOLTHENVS *q*) ex ALMELOVEENII *ſchedis* obſeruat, qui idem ſcribendi compendium in pluribus aliis bonae notae lapidibus vidiſſe ſe, teſtatur *r*). ꝶ pro AM habemus in priſco ſaxo Smetiano *ſ*); in aliis vero eiusdem *συλλογῆς* legitur ꝶ pro VM *t*), ꝶ pro AN *u*), ꝶ pro TR *x*), ꝶ pro MP *y*). In ALMELOVENII porro *ſchedis* tabulam conſularem, Hadriani temporibus excuſam, et a GRVTERO *z*) exhibitam, HOLTHENVS *a*) ſic

p) *inſcript.* fol. CXXXVII. 18.

q) *variorum corrigendis et animaduertendis ad theſ. Grut.* p. CCCXVII.

r) ibid. p. CCCXXIII.

ſ) fol. CXXXXVIII. 24.

t) p. XXII. 3.


u) p. XXIIII. 1.

x) p. CLVII. 10.

y) p. LII. 4.

z) p. CXXVI.

a) *loco memorato* p. CCCXXI.

ſic exaratam inuenit, vt litterae PH, AV, TH, HR, ANV iunctim ſcriberentur PH AV TH HR ANV. Sic quoque alias litteras aliis minores fecere Romani propter anguſtos lapidis limites. Exemplo ſit marmor GRVTERIANVM *b*), in quo AvR ſcribitur pro AVR, et aliud apud SMETIVM *c*), quod litteram E minorem incluſit maiori C, et O litterae D, in hunc modum SACERDOS. Neque vero non alias litteras aliis impoſuere, inprimis, vti in noſtro monimento, litteram I. Sic vocabulum ITERVM LIPSII *auctarium d*) in marmore quodam ſic ſcriptum exhibet ITER; litteras vero IR in alio marmore GRVTERIANO *e*) hac figura IR expreſſas eſſe, HOLTHENVS *f*) monuit, vt de aliis iſtiusmodi exemplis taceamus.

DENIQVE in eiusmodi oculariorum medicorum lapillis veſtigia λιτογραφίας reperire ſibi haud immerito viſus eſt illuſtriſſimus

b) p. XXXVI.

c) p. CL, 6.

d) p. 29.

e) p. CLXVIIII, 7.

f) *loco memorato* p. CCCIII. Plura eius generis ſcribendi compendiorum exempla ſuppeditant THOM. REINESIVS *claſſ.* II. *inſcr.* 14. p. 254. FABRETTVS *inſcript.* p. 255. OCTAV. BOLDONIVS *libr.* V. *epigraph.* p. 600. GISB. CVPERVS *monim. ant.* p. 187. IO. DOM. BERTOLIVS *antichità d' Aquileia.* p. 358. SCIP. MAFFEI *ſiglis Graec. lapidar.* p. 60. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *miſcell. polit. humanit.* p. 24.

mus marchio SCIPIO MAFFEI g). Exhibent enim litteras a dextra ad finiſtram ductu inuerſo, haud ſecus fere ac in noſtris typothetarum officinis. Siſtunt iidem lapides, cerae vel argillae, haud ſecus ac noſtri typi chartae, impreſſi, litteras a ſiniſtra ad dextram, more ſcribendi conſueto. Sunt denique lapides hi ſic comparati, vt ipſis tanquam ἀρχετύπῳ aliquo, plura exempla, ſibi paria, breui tempore fingi ac produci queant, haud diſſimili fere artificio, quod hodiernis litterarum formis proprium eſt ac commune. Eadem vero, quae in his lapidibus, τυπογραφίας ſpecimina praeter lateres coctiles multae veterum lucernae nobis exhibent, in quibus pari fere ratione nomen artificis vel officinae expreſſum legitur, cuius rei illuſtria inprimis exempla in muſei PASSERII lucernis fictilibus reperiuntur.

ANTEQVAM huic commentationi finem imponamus, etiam hoc animaduerti debet, ſigilla eiusmodi medicorum oculariorum cum ſigillis veterum artificum haud eſſe confundenda. Niſi in illis morbi, aut ſaltem ipſius medicamenti mentio eſt facta, nollem profecto eiusmodi lapides medicis ocularìis tribuere. Solebant enim artifices fictilibus vaſis ſuae officinae, vaſculis rebus-

g) *muſeo Veronenſi*, p. CXXXV.



rebusque aliis, ad vſum domeſticum neceſſariis, eiusmodi ſigillorum ope, nomen ſuum in caſu ſecundo imprimere. Tale ſigillum illud eſt, quod IO. DAN. SCHOEPFLINVS *b*) in lucem edidit:

Q. C A L A N
P R I S C I

His ſigillis non ſolum lateres coctiles, ſed etiam lucernae ſignatae ſunt, vt, ex qua officina opificium eſſet, conſtaret. Eiusmodi artificum, qui Arretii olim fuerunt, nomina collegit ANTON. FRANC. GORIVS *i*). Eadem ratione interpretandae forte ſunt Legionum ſiglae, exempli cauſſa: LEG. AVG. VIII. quae lateribus coctilibus ſaepiſſime eiusmodi ſigillis impreſſae leguntur. Supplendum eſt, niſi nos omnia fallunt, vocabulum OPVS, legionis ſcilicet octauae auguſtae opus, hocque ſignificatur, eiusmodi lateres eſſe opus legionis VIII. Auguſtae, quod ex eius officina figulina prodierit.

b) *Alſat. illuſtr. tom.* I. p. 609.

i) *inſcript. Etrur. tom.* II. p. 320, ſq.



II.

II.

SIGILLA MEDICORVM OCVLARIORVM APVD VETERES ROMANOS

among old Romans

I.



Sigillum hoc, in agro Ienenſi inuentum, ſingulari commentatione Ienae, CIƆIƆCCLXIII. 4. edita, illuſtrauimus, quae in ſelectis his primum occupat locum.



II.

Sigillum Anonymi medici ocularii in Gallia repertum et Nemauso a doctissimo SEGVIERIO *missum.*



Possidet hoc sigillum doctissimus SEGVIERIVS. Quatuor latera, vt in plerisque aliis inscripta sunt, omissis tamen medici ocularii nomine et medicamentorum virtutibus, raro admodum exemplo, nam vtrumque in plurimis huius generis medicorum lapillis expressum legitur. Primum latus PSORICVM commendat, scilicet vnguentum, *ἀπὸ τῆς ψώρας*, a scabiei

biei genere sic nuncupatum. Huius generis vnguentorum alia olim fuere ψωρηκὰ, ἁπλῶς sic dicta, quorum praeter AETIVM ceterosque veteres medicos, SCRIBONIVS LARGVS *a*) mentionem fecit. *Collyrium*, inquit, *psoricum ad caliginem et ad aspritudinem oculorum.* Alia artificiosius composita, quae ideo διαψωρικῶν habuere nomen. Quibus si vnguenta odorifera admixta essent, *opobalsama* διαψωρικὰ sunt vocata. Vnde triplex horum vnguentorum ψωρικῶν genus medicis ocularììs olim in vsu fuit, in eiusmodi sigillis diserte memoratum, in quibus modo *psorici*, modo *diapsorici* vnguenti, modo *diapsorici opobalsami* mentionem factam esse, legimus *b*). In altero eiusdem lapilli latere legitur vocabulum CROCODEM, cuius quae sit ratio, haud immerito quaeritur. Cur medicus hic quartum vocabuli casum expresserit, propter ignorantiam, an forte aliam ob caussam, nolumus inquirere. Quicquid tamen eius rei sit, ipsum hoc sigillum cel. WESSELINGII de hoc medicamenti genere coniecturam admodum egregie confirmare videtur. Quum enim anno CIƆIƆCCXXVIII. prope aedem

 sancti

a) composit. medic.

b) vide commentationem, primam in hoc opusculo.



ſancti Marculfi de Inſula in Neuſtria inferiore eiusmodi ſigillum medici ocularii reperiretur, in cuius latere ſcriptum fuerat: CROCOD. qui veram eius vocabuli daret interpretationem, fuit nemo, neque ipſe adeo clariſſimus vir LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS, ad quem id miſerat ad locupletandum nouum inſcriptionum theſaurum *c*) doctiſſimus montis Seleuci Baro, IOSEPHVS BIMARDVS LA BASTIE. Diuinauerat enim, quamquam ſine vlla veri ſpecie, MVRATORIVS, CROCOD*ilium* forte, aut CROC*inum* OD*oratum* legendum eſſe vocabulum illud decurtatum CROCOD. quod in ſigillo iſto habeatur, plane, vt videtur, ignarus, iam apud GALENVM *d*) *crocodem* in *collyriis* ſiue vnguentis haberi, quae ſanandis oculorum inſeruiant vitiis. Cel. WESSELINGIVS deinde, ni fallimur, primus, crocodem vnguenti genus eſſe, de quo in hoc lapide ſermo ſit, ſuſpicatus eſt *dd*), quam coniecturam lapis noſter admodum egregie confirmat, ac veriſſime ea de re doctiſſimum virum iudicaſſe, ſatis ſuperque oſtendit. De aromatico vnguento, quod in tertio late-

re

c) *tom.* I. p. ɪↃVIII.4.

d) *περὶ κατὰ τόπους.*

dd) *obſ. de medicis oculariis, vol.* III. *actor. ſoc. lat. Ienenſ.*

re commemoratur, quodue nullum aliorum eius generis ſigillorum propter oculi morbos commendat, nolumus in praeſenti dicere, maxime, quod hoc vnguenti genus ab AETIO *e*) diſerte in collyriis numeratur; quid vero MELINVM ſit, non ſine cauſſa quaeri poſſe, nobis videtur. Sunt, qui et huius medicamenti haud ſecus ac aromatici vnguenti in nullo horum lapillorum mentionem factam eſſe, opinantur et noſtrum, de quo in praeſenti, primum eſſe credunt, vnde hoc collyrii genus innoteſcat. Verum doctiſſimi hi viri ſine omni dubio ignorarunt ſigillum Q. IVLII MVRRANI *f*), in quo hoc medicamenti genus non ſolum diſerte legitur, ſed etiam, ad quem id fuerit vſum, ex eodem cognoſcere licet. Alterum enim huius lapilli latus has litteras, inter ſe arcte iunctas, habet: Q VLMVRRANIMELINVM AD CLARITATEM, quae more conſueto medici nomen Q. nempe IVLii MVRRANI, tum medicamentum ipſum, MELINVM, tandem medicamenti vſum, AD CLARITATEM ſcilicet oculis conciliandam,

e) *libr.* VII. *cap.* 142.

f) edidit hoc ſigillum EDMVNDVS CHISHVLL diſſ. de nummo ϹΚωπ. inſcripto ad NICOLAVM FRANCISCVM HAYMIVM, addita *inſcriptioni* eius *Sigeae*, p. 121. edit. Lugd. Bat. CIↃIↃCCXXVII. 8.

dam, admodum manifeſte produnt. Quid vero melinum fuerit apud veteres, docet PLINIVS, diligentiſſimus rerum naturae ſcrutator. Numerat is melinum in vnguentis *g*) idque in amaracyni locum ſubſtitutum eſſe ſcribit. Monſtrat deinde *h*) rationem huius olei praeparandi, *exque malis cotoneis*, inquit, nempe ex eorum floribus, *et ſtruthiis fit oleum melinum, quod in vnguenta tranſit, admixtis omphacio, cyprino, ſeſamino, balſamo, iunco, caſia, abrotano.* Alio loco *i*) malorum cotoneorum flores iis, qui inflammationibus oculorum laborant, commendat, exque floribus fieri ait *oleum*, quod ſupra melinum vocauerit. Ex quibus, cur melinum in ocularioram medicorum collyriis locum habuerit, haud obſcure patet.

III.
CLAVDII

CLAVDCR GALBADCICA

Eſt hoc ſigillum in muſeo Pichoniano Nemauſi, itidem a cel. SEGVIERIO ad nos

g) *libr.* XIII. *cap.* 2.
h) *cap. eod.*
i) *libr.* XXIII. *cap.* 54.

nos transmissum. In vno tantum latere ἐπιγραφὴν habet, litteris propter spatii angustiam admodum contractis et inter se nexis. Quae in reliquis fere omnibus huiusmodi sigillis iunctim exprimi solent, medici nomen, ipsum medicamentum eiusque virtutes, haec etiam admodum distincte in Pichoniano leguntur. Medicus CLAVDIVM se adpellat, vno nomine contentus, quod iam Augusti aeuo facere solebant, qui artem aliquam profitebantur, inprimis si in ista famam sibi qualemcunque et nominis claritatem conciliauerant. Quam quidem rem si exemplis comprobare in praesenti vellemus, permulta nobis suppeditarent lapides GRVTERI *k*), REINESII *l*), MVRATORII *m*) aliorumque. Consuetudinem hanc imitati medici, inprimis ocularii, nominatim Silicius apud GRVTERVM *n*), Quintilianus apud MVRATORIVM *o*), Hypnus apud EVMDEM *p*), Sabinianus apud SPONIVM *q*), Phronimus,

D 5 de

k) p. IↃCXXIII. 5. IↃCCXXIV. 5. IↃCXXXVII. 3.

l) p. IↃCCCCXXXXVIIII. 6. IↃCCCCLII. 8. IↃCCCCLV. 5. IↃCCCCXXXVII. 3.

m) *class.* XI. *inscr.* 31. p. 619.

n) p. IↃCXXXV. 3.

o) p. IↃVIII. I.

p) ibid. num. 2.

q) *miscellan. erud. ant.* p. 237.



de quo alio loco dictum *r*), quibus se noster, eumdem morem sectatus, iam adiungit. Gessit vero Claudii nomen tanquam cognomen, cuius rei itidem exempla in priscis marmoribus haud desunt, quae non solum frequentem horum nominum permutationem docent, sed etiam Claudios sine gentilitio nomine et sine praenomine cognitos nobis faciunt *s*). Medicamentum huius Claudii fuit CROcodes GALBan*us*, id est, collyrii genus, ex crocode et galbano compositum. Τῆς χαλβάνης, siue latinè, mutato τῷ χ in G *galbani t*) mentionem fecerunt non solum DIOSCORIDES NICANDER, AETIVS, sed etiam ex latinis scriptoribus SVETONIVS, PLINIVS aliique plures. Ac PLINIVS *u*) quidem, *dat galbanum*, inquit, *Syria in eodem Amano monte e ferula, quam eiusdem nominis resinae modo stagonitin adpellant*, ex SALMASII *x*) emendatione: *e ferulaque eiusdem nominis, resinae modo, stagonitin appellant.* Ex quibus verbis galbani patriam Syriam fuisse discimus, natam ibi esse

r) commentatione supra memorata.

s) videatur GRVTERVS p. CCLXXXVII 5. IↃXXVII. I. IↃCCCCXXXI. 10.

t) conf. SALMASIVS *exercit. Plinianis*, p. 60.

u) *libr.* XII. *hist. nat. cap.* 56.

x) *exercit. Plin.* p. 249.

esse plantam ferulaceam, ex qua guttatim fluxerit succus, succum hunc aeque ac ipsam plantam *galbani* nomen habuisse, illum thuris genus fuisse, ideoque odorem habuisse, quem alii scriptores admodum grauem esse dicunt. Idem scriptor alio loco *y*) virtutes huius succi admodum multas commemorat, de eius vero in collyriis vsu nil apud ipsum reperitur. AETIVS *z*) tamen galbanum liquefactum et cum melle subactum cicatricibus adhibendum esse docet, id quod Claudium medicum fecisse, ipsum hoc eius sigillum manifeste docet.

IIII.

C. DVRONII CTESIAE

C. DVRON. CTE. CHELIDO AD CAL

Leguntur haec verba in fragmento testae seu potius pyxidis figulinae medici ocularii. Ex hoc fragmento nouus horum sigillorum vsus satis manifeste sese prodit. Re-

y) *libr.* XXIIII. *cap.*13. *z*) *libr.* VII. *cap.* 39.




Repertum est prope fanum sancti Remigii seruaturque hodie apud medicum Auenionensem, CALVETVM, virum harum rerum et amantissimum et peritissimum. Ac in hoc quidem vasis fragmento leguntur litterae C. DVRON CTE CHELIDO AD CAL. vnde medicum patet Caium quemdam Duronium Ctesiam fuisse, et habuisse in pyxide sua chelidonium ad caliginem oculorum dissipandam. Chelidonii collyrii etiam in aliorum huius generis medicorum sigillis facta est mentio, quod vero caput rei est, constat ex hoc vase, medicos crudo fictili harum pyxidum, antequam igne indurarentur, in tabernis figulorum nomina suorum medicamentorum imprimenda curasse eamque in rem suis quoque sigillis vsos esse. Duplex igitur horum sigillorum vsus apud veteres medicos fuisse videtur, alter, quo vascula venalia horum collyriorum cera obsignarunt eisdemque, vt fidem facerent medicamentis suis, sigillum tale impresserunt, alter, quo ipsi sua vasa, in quibus praeparata collyria domi seruare solebant, signarunt, vne, si quo opus erat, alterum cum altero confunderetur.

V.

V.

Q. CAERELLII QVINTILIANI



Ex MVRATORIO *thes. nou. inscriptionum*, p. IↃVIII. I. qui exstare verba haec, refert, in lapillo viridi et quadrato, reperto prope aedem sancti Marculfi de insula in Neustria inferiore anno Christi CIↃIↃCCXXVIII. Misit Muratorio V. CL. IOSEPHVS BIMARDVS, montis Seleuci baro. De ipso lapide haec apud MVRATORIVM ibidem reperiuntur: monuit me doctissimus BIMARDVS, in quadrato hoc lapide litteras minime exsurgere, sed alte incisas esse. Eo autem vsum opinatur Q. CAERellium QVINTILIANum ad inscriben-



bendos titulos pyxidibus, aut ciſtulis, quas venales circumferebat, quum ipſe eſſet Myrobrecharius, aut Pharmacopola: de quo hominum genere multa habet Salmaſius in exercitationibus Plinian. p. 739. Heic igitur primo ſe offert STACTE AD CLA*ritatem*, oculorum ſcilicet. Liquidiſſimum haec erat et pinguiſſimum e myrrha vnguentum, de quo videndus Heſychius. Latinis plerumque ſolo *myrrhae* nomine indigitatur. Sequitur DIALEPID*ium* vnguentum confectum ex ſucco *lepidii*, ex Dioſcoride, Plinio, Athenaeo, aliisque ſatis noti. Ex *ſmyrnio*, cuius duo genera fuiſſe contendit praelaudatus Salmaſius in homonym. hyl. iatric. cap. 16. expreſſum vnguentum, heic appellatur DIASMYRN*ium*. Vltimum denique eſt aut CROCOD*ilium*, ſeu potius CROC*inum* OD*oratum*, ſcilicet vnguentum ex croco odoris fragrantiſſimi, cuius generis magno ad rem medicam vſui fuiſſe teſtatur Dioſcorides. Ceterum pretioſa magnam partem eiusmodi vnguenta fuere: ideoque apud Plautum Curcul. act. I. ſc. 2. Lena vinum vetus ſibi *Stacten* et *Crocinum* eſſe dicit.

De eodem lapide cel. WESSELINGIVS *obſ. de veterum medicis ocularius vol. III. actor. ſocietat. lat,* p. 51. egregie quoque

eſt

est commentatus. Sic vero ille: non recordor, Q. CAER. QVINCTILIANI nomen inter medicos reperire, quamquam insculpta remedia ocularium ostendunt. Primum est QVINCTILIANI DIALEPID. hoc est, si verum eruit clarissimus MVRATORIVS, *dialepidium*, vnguentum, ex succo lepidii confectum: at eius herbae succus et folia ad exulcerationes conciliandas erant opportuna, visui atque oculis noxia. Δύναμις δὲ ἐστὶ τῶν φύλλων δριμεῖα ἑλκωτική, scribit *a*) DIOSCORIDES. Quae eius virtus haud latebat seruos fugitiuos, stigmata, fronti inusta, dispuncturos. *b*) COLVMELLA:

. . et lactis iustum quae condiat herba,
Deletura quidem fronti data signa fugarum,
Vimque suam idcirco profitetur nomine Graio.

Vbi vide celeb. IO. MATH. GESNERVM. Fuit in lapillo DIALEPID*os*, siue, vti *c*) SCRIBONIVS, *squammae aeris, quam Graeci* λεπίδα *vocant*. Namque eum adspergebant oculorum medicamentis ad scabritiem palpebrarum et fluxiones detergen-

a) *mater. med.* L. II. 205.

b) L. X, *de cult hortor.* V. 125.

c) *composit.* CXXXIII.



gendas. Μίγνυται δὲ καὶ τῆς ὀφθαλμικαῖς δυνάμεσι, ξηραίνη γὰρ τὰ βλέφαρα τὰ τραχέα *d*), DIOSCORIDES. Quin ipſum hoc *Dialepidos collyrium* non praeterit *e*) MARCELLVS. Sequitur in lapide QVINCTILIANI CROCOD, quod vir doctiſſimus aut CROCOD*ilium*, aut potius CROC*inum* OD*oratum* explet. Neutrum bene, quamquam poſterius a vero parum, a ſcriptura longius deflectit. CROCOD*es* fuit iterum iterumque a GALENO *f*) expoſitum. Ad Q. CAER. QVINCTILIANI DIASMYRN*on* nihil addo; de eo ſupra. Reſtat QVINTILIANI STACT. quod *Muratorio* STACTE eſt, *liquidiſſimum et pinguiſſimum e myrrha vnguentum.* Verius STACT*on*, ad oculorum claritatem et caliginem atque aſpritudinem diſpellendam perutile, de quo *g*) SCRIBONIVS. Graeci ςακτὸν, ἔνςακτον, ςακτικὸν, Latini *ſtactum* et *ſtacton* nuncupare ſolent, ſicuti RHODIVS docuit: qui quidem in VEGETIO RENATO pro *ſtracta* forſan ſcribendum eſſe *ſtacta* coniiciens, anſam ad examinandum eum locum praebet opportunam. *Et cum inflaueris h*), VEGETIVS ait, *ferula vel virga molli armum caedito, ſale et oleo perfrica-*

d) *mat. medic.* L. V. 89.
e) *de medicam.* p. 72.
f) L. IIII. *de compoſit. medicam.* p. 216. et 218.
g) *compoſit.* XXXIIII.
h) *artis veterin.* L. II.

fricato, ipſo die poſtero ſtracta vteris: cuius haec erit compoſitio: ſimilae ſextarios duos, ſi defuerint, pollinis triticei duos etc. tum *ſtractam quotidie* imponito. Vtrobique RHODIVS ſubſtituit *ſtactae* vocabulum, inuito atque intercedente, neque iniuria *i*), viro doctiſſimo, cui *ſtracta* de collyrio *ſtillatitio* haud abſurdum videbatur. GESNERVS, ſoſpitator VEGETII, quid ſi legamus, inquit, tracta, aut certe ſtractam eandem dicamus? In quo ſententiarum diuortio demiror aditum ad fontem non fuiſſe, e quo VEGETIVS ſua hauſit: PELAGONIVS veterinarius eadem de re hunc ad modum *k*); καὶ ἐμφυσήσας ἄνεμον ἔμβαλλε, καὶ λεπτῇ ῥάβδῳ ἁπαλῶς πλῆττε τὰς ὠμοπλάτας, καὶ ἄλατι καὶ ἐλαίῳ ἀπότριβε αὐτῇ τῇ ἡμέρα, τῇ δ᾽ ἐπιούσῃ ΤΡΑΚΤΩΜΑ ποίει, οὗ ἡ κατασκεύη αὕτη, σεμιδάλεως, ἢ ἀλεύρου σιτίνου ἢ κριθίνου ξέστας δύο etc. Viden' gemina haec et VEGETII Latinis germana? Ergone *tractomate vteris* et *tractoma imponito* reddemus VEGETIO? Equidem delerem neutrum, ſi ſcripti libri addicerent, qui *ſtracta* quum praeferant, detracto ſibilo *tractam* malim. τρακτὸν recentiores Graeci ceram albam, quod tractu continuo albeſceret,

i) *miſcell. Lipſ. nou. vol.* III. p. 552.

k) *hippiatric.* p. 89.

ceret, vocarunt. Hinc *Ἰεράκτωμα* emplastrum ex cera alba aliisque ſpeciebus, vt pulchre DVCANGIVS, quod *tractam* ſuo iure quin VEGETIVS vertere potuerit, nullum dubium eſt, praeſertim quum *tractam*, quamquam alia in re, *Cato* et *Plinius*, quod bene *Gesnerus*, vſurparent. Haec WESSELINGIVS.

Illuſtriſſimus comes DE CAYLVS tom. I. *collect. antiquit.* etiam hunc lapidem produxit, addiditque ad eius interpretationem has FALCONETI coniecturas. Nomen ipſum non CAERellius, ſed CAERe*alis* legit. *Dialepidium* apud veteres nusquam reperiri autumat, putat autem fuiſſe vnguenti admodum acris genus, ex planta *lepidio* ſeu *piperitide* praeparatum. DIASMYRN legi iubet DIASMYRNES, a myrrha, quae Smyrna graece. Loquuntur de hoc vnguento GALENVS et AETIVS, qui *diasmyrnon* vocant. CROCOD. id eſt CROCOD*ilium*, plantae genus, de quo DIOSCORIDES et PLINIVS. Planta earumdem fere virtutum, quarum lepidion. Crocodili caput, ex ignorantia forte, addidit ſculptor, crodilium a crocodilo, rabido et maximo lacertae genere, dictum eſſe, ratus.

VI.

VI.

C. CAP. SABINIANI



HOC ſigillum dedit IAC. SPONIVS *miſcellaneis erud. antiquit.* p. 237. ex SPONIO ill. comes DE CAYLVS *collect. ant. tom.* I. p. 240. edit. germ. Ac de eo ille, operculum, inquit, hocce erat ex lapide ſiue gemma non abſimili Molochitae, ſed paullo obſcuriori, forte *Chlorites* ſiue *Chlorides* Plinii, quem lib. 37. cap. 10. refert eſſe herbacei coloris. Collyriis aſſeruandis virides hosce lapides ſeligebant, quod hicce color ſit oculorum amicus. *Antiquos*, in-

 quit

quit Athen. lib. 15. *in vnguentorum vſu fuiſſe curioſos et diligentes, hoc eſt indicio, quod priuatim vnicuique parti corporis idonea ſcirent.* Adde et vnius cuiusque partis varia pro variis morbis, veluti ad oculos collyria quam plurima, qualia haec, quae *Caii Capii Sabiniani* Myropolae ſiue Pharmacopoei erant. CHLORON AD CLAR. Collyrium *chloron* dictum a colore ſuo viridi, *claritudini* oculorum proſpiciens. Comes DE CAYLVS addit fuiſſe genus vnguenti, DIARRODON dicti. NARDINVM AD IMPETVM nomen a ſpica nardi habens, cuius meminit Aetius. Oleum quoddam nardinum deſcribit Meſue, nunc etiam in vſu. *Nardinum,* inquit Plinius lib. 13. cap. 1. *ſiue foliatum conſtat omphacio, balanino, iunco, coſto, nardo, amomo, myrrha, balſamo.* DIABSORICVM AD CALIG. ſcribendum: DIAPSORICVM. Collyrium ad oculorum caliginem diſſipandam, cuius mentionem facit Marcellus, ad caliginem et aſperitudinem oculorum, ſiccamque perturbationem ſine tumore, quam xerophthalmiam Graeci appellant, facit hoc collyrium, quod *pſoricum* dicitur. Item infra, *Collyrium diapſoricum.* Ante Marcellum *pſoricorum vnguentorum* mentionem fecit SCRIBONIVS LARGVS. CHELEDON AD CLAritudinem oculis conciliandam Plin.

lib.

lib. 25. cap. 8. *Vtuntur et per se succo Chelidoniae in collyriis, quae chelidonia vocantur ab ea.*

VII.


C. IVLII DIONYSIODORI

C. IVL DIONYSODORI
DIAMISVS AD VET CI

C. IVL DIONYSIODO
RI PACCIAN AD IAT

Hunc lapillum debemus illustrissimo march. SCIPIONI MAFFEIO, *muf. Veronen.* p. CXXXV. qui de ipso haec commentatus est. In hoc lapillo litterae in duobus tantum lateribus non eminentes, sed incauatae, vt impressae legerentur, typographiam imitantur, a dextra ad sinistram procedentes. Myropolae nomen, et cataplasmatum, et ad quid prodessent, notatur. Tabellae, quam Parisiis vulgaui, diasmyrnum, et diarrhodon, aliaque felicius apud veteres scriptores inueni, sed medicamentum *ad Diat* nondum reperi. Num *collyrium enstactum* erat, quod ex Aetio appellatur *paccianum*, et faciebat ad acuendum visum? *Diamisum ad Vet.*

 decla-



declarare videtur mihi Plinius lib. 34. cap. 12. cum tradit, *Misi* inter virtutes ceteras extenuare *scabritias oculorum inueteratas*. De Misy vide Mercati Metallothecam pag. 65. *Ad Vet. Ci* forte *ad veternum ciliorum?* De Diamiso collyrio loquitur Marcellus Empiricus cap. 8. Vbi in nouo thesauro inscriptiones id genus afferuntur, typographos puto Plauti locum deformatum, nec opportune de suo, sic adiecisse. *Sana vinum sibi stacte*, et *crocinum esse dicuntur*. Apud Plautum quidem lena bibax vini odore recreata sic vinum alloquitur: Curcul. A. 1. S. 2. *Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa, tu crocum, et casia es.* Haec MAFFEIVS. Ego prioris inscriptionis siglam sic interpretor: AD *Vulnera* ET CI*cadrices*.

VIII.

M. IVLII CHARITONIS



Illu-

Illuſtriſſ. march. SCIP. MAFFEI hunc lapidem ab obliuione vindicauit *antiquit. Galliae* p. 81. De quo ſic vir meritiſſimus: lapillus eſt quadratus ſubuiridis, vnguentariae thecae olim operculum. Quadripartita ea fuit, et totidem collyria continuit, oculis aegrotantibus illinenda. Myropolae M. Iulii Charitonis vnicuique nomen adpoſitum. *Iſochryſi* appellatione auro contra carum non eſſe, forte ſtudebant ſuadere, *ad claritudinem* acquirendam prodeſſe dicebatur. Huius nominis collyrium apud priſcos medicos non inuenio, ſed idem fuiſſe puto, quod velut incerto nomine et *iſophoton*, et *iſotheon* olim vocatum, ab Aetio diſcimus. *Diarhodon* Diagorae commendat Oribaſius; Galeni item innoteſcit: *Ad feruorem* ſedandum Charito valere ſuum adnotauerat. *Diaſmyrnum* memorat Aetius, et Marcellus, et Scribonius Largus, qui ad puſtulas, et ad ſuppurationes oculorum facere praedicant. Quod reliquum eſt, aut abſtergens fuiſſe videtur quoddam, aut purgans a διαψαίρω appellatione deducta, vel a διαψάω: niſi tamen *Diapraſium* erat, quod in Nicolai antidotario contra oculorum caliginem recenſetur. Poſt MAFFEIVM lapidem hunc edidit MVRATORIVS *nouo theſauro inſcriptionum* p. IↃVIII. 3. nihil tamen addidit de ſuo, niſi quod Diuione is reperiatur

 apud

apud P. OVDINVM *ex ſociet. Ieſu.* Optime de eo poſtea commentatus eſt cel. WESSELINGIVS *obſeruat. de veterum medicis ocularıiis vol. III. act. ſoc. lat. Ienenſ.* p. 49. Sic vero iſte: Vulgauit illuſtris natalium atque eruditionis gloria SCIPIO MAFFEIVS *l*) lapillum quadratum, vnguentariae thecae quondam operculum, cuius ſingula latera M. IVLII CHARITONIS collyriis inſcripta et ſignata ſunt; qui quidem inſtitoris pigmentarii fuiſſe videtur, pyxide abdita, vti mos eſt, ea ſtudioſe ſeruantis, quae aut aliis venditaret, aut ipſemet aegrotis adplicaret. Multi enim hoc de genere olim audaciam atque inſcitiam in artem vertebant et miſeros temerarie circumſcribebant. Talem certe perſtringit atque ex meritis ornat *m*) EPICTETVS. M. Iulius Charito ocularius eſt, fortaſſe idem ac CHARITO ὀχλαγωγος, h.e. *multitudinis illex* : ſolebat enim circum fora et celebres mercatus ire ac aegris opitulari: περιήει τὰς πανηγύρεις, *n*) GALENVS inquit. Sitne vero ab eo diuerſus medicus CHARITO, cuius *de Trochiſcis* commentarii in bibliothecis *o*) latent, quis adfirmauerit? Hunc ophthalmicum oſtendunt compoſitiones aduerſus oculorum incom-

l) *antiquit. Gallic.* p. 75.

m) *Aman. diſſ. Epicteti* L. IIII. 21. p. 441. Ed. VPTONI.

n) L. II. *de antidot.* p. 451.

o) IAC. PHIL. D'ORVILLE *ad Charitonem* L. I. I.

commoda, quorum primum in lapillo M. IVLII CHARITONIS ISOCHRYS*on* AD CLAR*itatem*, siue, vt Craeci, *πρὸς ὀξυδερκίαν*. Negat vir illustris, hoc se nomine collyrium in medicorum libris inuenisse; est tamen in GALENO *p*), etsi praue nunc *ἰσοχρύσου πρὸς βεβρωμένους κανθοὺς*; neque enim medici nomen est, sed medicamenti, cui ob vim mirificam *ἰσοχρύσου*, *auro contra cari*, titulum impegisse videntur. *Τὸ χρυσοῦν* habet AETIVS *q*). Sequitur in lapide M. IVL. CHARITONIS DIARHOD*on* AD FERV*orem*, sic optime MAFFEIVS: pessime L. ANT. MVRATORIVS, addito in thesaurum suum ex antiquitatibus Gallicis *r*) lapillo, omnia haec praeteriit, aliaque negligentissime iterauit, quae peccata in egregia collectione nimis, quod merito dolemus, sunt multa. *Diarhodon*, ex rosis collyrium, saepe GALENVS, ALEXANDER TRALLIANVS, PAVLLVS AEGINETA et AETIVS descripserunt, neque opus est indicio. Id vero *ad feruorem oculorum*, sic MARCELLVS, *πρὸς φλεγμονὴν*, dissipandum et detergendum, commodum ac perutile fuisse, iidem non negant. Tum M. IVL. CHARITONIS DIASNYRN*on* DE. . . . in quibus *Diasmyrnon*, pro quo *Diasmyrnes*

 ma-

p) L. IIII. *de composit. medic.* p. 218.

q) L. VII. p. 147.

r) *thes. nou.* p. DVIII. 3.

maluit SCRIBONIVS *s*), legendum eſſe, adſentimur MAFFEIO. Graeci *διασμύρνον*, et verius *διὰ σμύρνης* ex vetere ſermonis vſu, id remedium vocitant. Sed quid mutilatis litteris, de quibus nihil vir illuſtris, faciendum? Fuiſſe ſuſpicor AD EPIPHORAS. Moueor his SCRIBONII *t*): *ad conturbationes et epiphoras oculorum ſcio multa collyria, tametſi tarde, magnos tamen effectus habere:* illis quoque, quae PAVLLVS AEGINETA *u*) diſputat. Tandem M. IVL. CHARITONIS DIAPSA. . . . , quod anceps admodum atque obſcurum eſt. Vir illuſtris: *aut abſtergens fuiſſe videtur quoddam, aut purgans*, a *διαψαίρω appellatione deducta*, vel *διαψάω*, *niſi tamen Diapraſium erat:* quorum quidem poſterius ipſo litterarum ordine confutatur; priora eius ſunt generis, vt, ſi recuſes, conſtabiliri nequeant: ſunt praeterea pleraeque hae collyriorum compoſitiones ex pluribus conflatae, propterea que ΔΙΑ praeſcriptum habent. Tale eſt *Diapſoricum* apud MARCELLVM *x*), quod, ſi in lapidis ſcriptura commiſſum eſſet, recipi poterat. Alioquin *Diapſoron* erit. Meminit *ψαρȣ̃*, pſari, a colore murino adpellati medicamenti,

PAVL-

s) *compoſit.* XXVI.

t) *compoſit.* XVIIII.

u) L. III. 22. p. 72. edit. Baſil.

x) *de medicament.* p. 73.

PAVLLVS AEGINETA, mirificeque fecisse y), ait, πρὸς τὰς νομὰς καὶ ὑπερσαρκώσεις, *ad vlcera depascentia et excrescentia.* Apud Ill. comitem de Caylus *tom.* I, *collect. ant.* Hic lapis ordine sextus est.

VIIII.

C. SVLPITII HYPNI



Damus hunc lapillum ex MVRATORIO p. IↃVIII. 2. qui exstare illum ait *Epamduodori in Sequanis*, *hodie* Mandeure, esse lapi-

y) L. VII. 13. et L. IIII. 43.



lapidem quadratum, missumque esse a BIMARDO. Post MVRATORIVM editus est in lucem ab ill. comite DE CAYLVS *tom.* I. *coll. ant.* p. 244. De ipsis ἐπιγραφαῖς, in primo latere, inquit MVRATORIVS, interpretare C. SVLP*icii* HYPNI STACTVM OPOB*alsamatum* AD CapVt. In secundo HYPNI CROCOD*ilium* DIALEPID*iatum* AD ASPRITV*dinem*. Meliora de isto nos docuit cel. WESSELINGIVS, laudata *obs. de veterum medicis ocularius*, p. 54. cuius verba hic transscribere liceat: transeo ad alterum MVRATORII lapillum, C. SVLP. HYPNI collyria, et peregrino cognomine libertinae conditionis hominem offerentem. HYPNVM SERVVM dabit C. CAES. MALVASIA z), alium aut libertum aut eiusdem loci MVRATORIVS a). Ophthalmici HYPNI COENON AD CLARITATEM non eget explicatione, neque indigeret C. SVLP. HYPNI CROCOD. DIALEPID. AD ASPRI*tudinem*, nisi vir praeclarus iterum obtrusisset CROCOD*ilium* DIALEPIDI*atum*, quod CROCOD*es* DIALEPID*os* fuisse, apertissimum est. Proprie quod faciebat et acre erat aduersus *aspritudinem oculorum et palpebrarum*, vt in SCRIBONIO. b) Tertium C. SVLP. HYPNI STACTVM OPOB.

AD

z) *marmar. Felsin.* p. 231.

a) *thes. nouo* p. MCLXXIIII. 3.

b) *composit.* XXXV.

AD CV. ex opobalſamo, de quo PAVLLVS AEGINETA c) et prorſus egregie RHODIVS, d) concinnatum fuit: vtrum vero AD CapVt, quomodo MVRATORIVS, an AD *Cicatrices Veteres* extenuandas, ſicuti MARCELLVS e) iudicat, non temere decreuero: id mihi liquidiſſimum eſt, HYPNI LISIPONVM AD SVPPVRATIONes male ſculptum videri: LYSIPONVM oportuerat. ATIMETI et DIOMEDIS λυσιπόνιον, ad dolores ſedandos collyrium, ceteris inſeruit CL. GALENVS. f) Ex CAYLO adnotandum, eum non legere OPOB. AD CV, ſed AD CL, id eſt, ad CLARITATEM. Λυσίπονος, *Lyſiponos ſoluens dolores*, forte idem vnguentum, quod TRALLIANVS παρηγορικὸν *mitigans* nuncupauit.

X.

G. STAT. SABINIANI. DIACHERALE

Ex MVRATORIO *loco memorato*, qui accepiſſe lapidem refert Veſuntione a BIMARDO. Eſſe, addit, hanc ἐπιγραφὴν in quadrato lapide *inciſis litteris et ordine praepoſte-*

c) *Lib.* VII. 16. p. 282.
d) *ad Scribon.* p. 72.
e) *de medicam.* p. 72.
f) *de compoſit. medicam.* L. III. p. 216.

poſtero exaratis: dubium non eſſe, quin ſigillum fuerit alicuius pharmacopolae. Eumdem lapidem dederunt DVNODVS, *hiſtoire des Sequanois*, p. 205. et comes CAYLVS loco memorato, p. 243. Idem FALCONETI coniecturam non ſatis probabilem refert, vnguentum hoc forte ex cinere cremati cum carnibus ſuis echini, cui mel admixtum fuerit, fuiſſe factum. Coniecturam hanc niti vult teſtimonio PLINII, qui echinos combuſtos ad alopecias vtiles eſſe, referat, *libr.* XXXII. *hiſt. nat. cap.* 23. Haec veteres crediſſe non negatur, verum, quare idcirco *diacherale* vnguentum fuerit ex illo cinere et melle compoſitum, non videmus. Multo minus tamen ferendi ſunt, qui hoc vocabulum ab arabico *Kziri* deducendum eſſe arbitrantur.

XI.

M. VLPII HERACLETIS




Lapil-

Lapillum hunc primus vulgauit IO. SMETIVS *antiquit. Nouiomag.* p. 98. deinde ill. comes CAYLVS *collect. antiquit. tom. I.* p. 239. edit. german. Lapillus viridis, inquit, SMETIVS, apud me politus et quadratus, vnius fere est in quadratum pollicis, crassitie tertiam circiter digiti partem aequat, in marginibus voces sequentes, sed inuersae et retrogradae leguntur incisae litterae.

Exhibitis deinde ipsis lapilli huius inscriptionibus, sic pergit: hic me sustineo et ingenue testor, quid superiora significent, mihi non liquere. De illis quid sentiam, non facile dicerem, saepe mecum cogito, quid sibi illa velint. Ego tamen nihil adhuc adfirmare audeo, et iuuenili meo iudicio non tantum credo, videant, qui in castris litterarum veterani, et quibus emunctae magis purgataeque sunt nares. Quibus haec subiungit SMETIVS: dum prelum sudat, et typographus sua grammata prioresque typos coniungit, opportune in meas manus incidit similis, sed crustosus eiusdem formae et magnitudinis lapillus, quem possidet Laurentius van den Bergh, vir consularis, atque optime pessimo tempore de te-

trar-



trarchia et vrbe Nouiomagensi meritus: non licet currente prelo de litteris inuersis et characteribus illi incisis altius iam cogitare, tantummodo typum litterarum marginalium hic dabo. Haec SMETIVS. Ac is quidem est lapillus, quem statim exhibebimus, ordine, quem cuilibet eorum adsignauimus, octauus. Comes de CAYLVS *loc. memorat.* seu potius FALCONETVS, cuius sententiam ea de re ille sciscitatus fuerat, vocabula TIPINVM et DIARICES haud recte scripta esse, ideoque vix, quid significarint, diuinari posse arbitratur; coniicit tamen DIARICES forte pro DIACROCON positum esse, quod vnguentum ex croco paratum fuerit. Apud AETIVM et AEGINETAM mentio talis vnguenti fit, quod DIACROCA vocatur. Pro DIAMYSVS legi vult FALCONETVS DIAMISY, a vocabulo *Misy*, quod vitrioli genus apud veteres fuit, vt videtur, vitriolum cupri, quod romanum dici hodie solet, apud CELSVM, PLINIVM aliosque obuium. Conf. MERCATI *metallotheca Vaticana*, p. 65.

XII.

XII.

Eiusdem M. VLPII HERACLETIS

M. VLPI HERACLETIS
CYCNARIVM AD IMP.

M. VLPI HERACL
DIARODON AD IMP

M. VLP. HERACLETIS
TALASSE ROSA

M. VLPI HERACLETIS
STRATIOTICVM

Binos hos VLPII lapides ex SMETIO in *miſcellanea* ſua *eruditae antiquitatis* p. 237. transtulit SPONIVS et ad eorum interpretationem haec adtulit: *Marcus Vlpius Heracles*, cuius in his duobus lapillis mentio eſt, fuit vnguentarius ſiue myropola, qui in pyxidibus haec collyria ſua aſſeruabat. STRATIOTICVM, hoc eſt collyrium, cuius meminit Marcellus lib. de med. *collyrium ad caliginem et aſperitudinem, quod*

ſtratioticum dicitur. TALASSE ROSA nobis incognitum. DIARODON, quod idem videtur ac noſtrum *Roſaceum*, et Plinii *Rhodinum*, vel potius *Collyrium Diarhodon*, cuius Oribaſius meminit: etenim addit AD IMP. hoc eſt ad *Impetum*, qui apud antiquos morbi oculorum ſpecies erat. Marcellus, lib. de medicamentis, *collyrii* cuiusdam meminit, *ad lippitudines et primos impetus oculorum.* CYCNARIVM, aliud *Collyrium* Oribaſio *Cygnus* dictum. MELINVM Plinius lib. 13. cap. 1. memorat: *Amaracinum,* inquit, *in Coo, poſtea eodem loco praelatum. eſt Melinum:* et Galenus lib. de comp. med. lib. 2. Athenaeus lib. 15. *In compotationibus* vtile *Roſaceum eſt, Myrtinumque ac Melinum, quod etiam prodeſt ventriculo et Lethargicorum veterno.* DIAMYSVS a Myſi nomen habere potuit, quod eſt minerale notum. Collyrii Diamyſios meminit Marcellus, *quod ad aſperitudines oculorum.* TIPINVM et DIARICES mihi ſunt incognita. Haec SPONIVS. Illuſtriſſ. Comes de CAYLVS, qui loco memorato eumdem lapidem ex SPONIO dedit, Stratioticum, propter graecae vocis originem, vnguentum eſſe putat, militum cauſſa confectum, ſi quorum oculi in itineribus fumo, puluere, aëris ventorumque inclementia, incommoda patiuntur. De vnguento diarodon, ſeu po-

potius *diarrhodon*, GALENVS et ALEXANDER TRALLIANVS videndi ſunt. *Impetum* in hac inſcriptione inflammationem oculorum et quoddam *rheumatis* genus deſignare arbitratur. *Cycnarium* a κύκνος, deducit exiſtimatque, fuiſſe vnguentum oculorum albi coloris, mentionem eius apud GALENVM et PAVLLVM AEGINETAM eſſe factam. Vocabula TALASSE ROSA contrahit in vnum, legique vult THALASSERON, a Θάλασσα mare, fuiſſe forte vnguentum marini coloris, aut ex aqua marina confectum. AETIVS et AEGINETA itidem iſtud commemorarunt.

XIII.

Q. IVLII MVRRANII

QIVLMVRRANIMELI
NVMADCLARITATEM

QIVLMVRRANISTAGIV
MOPOBALSAMATADCAP

Edidit hunc lapillum EDMVNDVS CHISHVLL *diſſertatione de nummo* CKωΠΙ *inſcripto, ad egregium virum* NICOLAVM FRANCISCVM HAYMIVM, addita *inſcri-*




ptioni Sigeae, p. 121. editionis, quae Lugduni Batauorum CIↃIↃCCXXVII. 8. prodiit. Haec vero de ipſis ἐπιγραφαῖς et lapillorum horum vſu commentatus eſt vir eruditiſſimus: latinas huiusmodi publicationes, vtcunque vulgo non notatas, at reuera, mercimonii ergo, a veteribus olim factas, nemo eſt, qui recte pernegabit. Tales enim duas, cerae pulchre impreſſas et a teſſeris archetypis longiusculis more quodam typographico deſumtas, adhuc apud me ſeruo, aliquot abhinc annis a domino *Lufkins* Colceſtrenſi, antiquitatum harum ſtudioſo, humaniter mihi communicatas. Hae igitur ad Colceſtriam, romanam olim coloniam, repertae, et (quod mirandum ſubit) in vſus etiam iapraliptae cuiusdam ſiue vnguentarii, fabrefactae, dici vix poteſt, quantum et in re ipſa et verborum formula, huic noſtrae nummulariae publicationi ad amuſſim per omnia reſpondeant. Haec CHISHVLLIVS, quibus deinde explicationem vocabulorum vtriusque ἐπιγραφῆς ſubiungit. Sic vero alteram legit: *Quinti* IVL*ii* MVRRANI*i* MELINVM AD CLARITATEM (*ſiue, ex malis cotoneis oleum, ad claritatem oculorum faciens*), alteram: *Quinti* IVL*ii* MVRRANI*i* STAGIVM OPOBALSAMAT*um* (*ſiue myrrhae oleum opobalſamo permixtum*) AD CAP*ut*, *id eſt: caput medicandum vtile.*

vtile. Poſt Chishullum lapidem hunc vulgauit ill. comes DE CAYLVS tom. I. *collect. antiquit.* Stagium interpretatur per STACTVM vel STACTON a graeco ἔνςακτον, ex ςάζω *diſtillo* formatum, quumque ad hoc vnguentum opobalſamum accederet, dictum fuit STACTON OPOBALSAMATVM. Vltimas litteras CAP. omittit CAYLVS.

XIIII.

L. CINTIVSMINI BLANDI



Deſcripſit hunc lapidem doctiſſimus BERALDVS, cuius ea de re commenta-

tiuncula in ephemeridibus anglicanis, *(gentleman's magazin)* menſis ianuarii anni CIƆIƆCCLIII. p. 25. legitur, quae poſtea in germanicam linguam translata, volumini quarto *des Bremiſchen Magazins* p. 43. inſerta fuit.

Quae BERALDVS de hoc lapide eiusque inſcriptionibus eſt commentatus, haec ſunt. Rarum hoc monimentum exſtat in muſeo antiquitatum collegii Ieſuitarum Lugdunenſis; vnde vero eo delatum ſit, non ſatis liquet. Eſt lapis viridis coloris, formae quadratae oblongae, duos circiter pollices longus, XXI. lin. latus, et 4½ lin. craſſus. In altero latere eſt cauitas elliptica, cuius ſpatium eo loco, vbi latiſſima ea eſt, quatuordecim, vbi breuiſſima octo demum linearum menſuram habet. Quodlibet latus habet ἐπιγραφὴν duobus ςίχοις inuerſo litterarum ductu inciſam. Ill. comes CAYLVS aliique in ea opinione ſunt, argumentis ſuis haud deſtituta, lapides hos fuiſſe ſigilla, quibus antiquo aeuo medicamenta ſignauerint medici ocularii. Lapis ipſe fuit adhuc ineditus, et inſcriptiones eius ab aliis huius generis, quae raro tamen in muſeis inueniuntur, quadammodo diuerſae. Is, cuius nomen in hoc lapide legitur, ocularius medicus fuiſſe videtur. Dicebatur CAIVS CINTVSMINIVS BLANDVS.

Pri-

Primum eius vnguentum fuit EVODES AD ASPR. Haec vocabula explicanda sunt: *ἐυωδες ad aspritudinem.* Ipsa ocularii orthographia non aeque optima et adcurata est. Graecum εὐωδες significat *bene olens*, morbus vero, qui aspritudo dicitur, est siccitas palpebrarum et quidem partium earumdem internarum. Vnguentum ipsum eiusque rationem ex SCRIBONIO LARGO *composit. medic.* XXVI. discimus: *praecipue hoc collyrium, quod quidam Athenipum, quidam diasmyrnes, quidam* εὐωδες *vocant, quia boni odoris est*. Paullo post addit, vnguentum hoc adhibitum fuisse ad tollendam *aspritudinem palpebrarum*. SCRIBONII LARGI auctoritate εὐωδες idem olim fuit, quod *diasmyrnes*, cuius in tertio lapilli latere mentio facta est. Verum hoc ipso patet, aliquam vtriusque medicamenti differentiam fuisse. Probabile vero est, vnguentum *diasmyrnes*, si gratus ipsi odor datus fuerit, εὐωδες dictum fuisse.

DIAPSOROPO est secundum vnguentum. Vocabulum hoc legendum est: *diapsoricum opobalsamatum.* Diapsorum antiquorum dictum est a graeco vocabulo ψωρα, *scabies.* MARCELLVS EMPIRICVS, SCRIBONIVS LARGVS et CELSVS eius faciunt mentionem, idque contra oculorum aspritudi-



tudinem commendant. Sine dubio vero *opobalſamatum* vocat, quod eidem vnguenta odorifera admixta fuere.

Tertium vnguentum eſt *diaſmyrnes* SCRIBONII LARGI, a myrrha, gr. σμύρνα, ex qua compoſitum fuit, ſic vocatum.

Quartum vnguentum in nullo veterum ſcriptorum reperitur. Sine dubio aliquid fuit medico noſtro oculario peculiare et proprium, quod ab ipſo inuentum fuit et excogitatum. DIOSCORIDES *lib.*V. refert, vſtas ſpongias adfuſo aceto oculorum lippitudini aliisque eorumdem morbis mederi. Quare videtur CINTVSMINVS, medicamentum quoddam leniens ex ſpongiis praeparaſſe, quod a graeco σπόγγιον nomen eccepit.

Iis lateribus, in quibus vnguenta εὐώδες et *diaſmyrnes* leguntur, inciſae viſuntur figurae plantarum, illud ſine dubio fruticis vel arboris genus, ex quo myrrha colligitur, deſignantes.




XV.

L. SACCI MENANDRI



Sigillum hoc primus e tenebris in luum protraxit ill. comes DE CAYLVS tom. I. *collect. antiqu.* p. 244. Vocabulum CHELIDONIM pro CHELIDONIVM. Quale id vnguenti genus fuerit, iam ſupra oſtenſum eſt. Sigla AD. CA. explicari debet AD CALIGINEM. MELINVM dicitur DELACR, id eſt, DELACR*ymatum*, quod per *deſtillatum* interpretatur CAYLVS. THALASSEROS*a*



iam supra adfuit, quae itidem DELA-Crymata dicitur. DIASPHORICum pro DIAPSORICVM scriptum, de quo supra. AD SC. id est, ex com. CAYLI mente: AD SCabiem.

XVI.

DECIMI P. FLAVIANI

.... FLAVIANI

.... M. LENEM. AD

.... VDINEM. OCVLO

DECIMI P. ....

ANI COLL......

MIXTVM. C

Ex ill. com. DE CAYLVS *coll. ant. tom.* I. p. 246. qui binas sigilli inscriptiones sic supplet, alteram:

DECMI. P. FLAVIANI
COLLYRIVM LENEM AD
ASPRITVDINEM OCVLO

alteram vero:

DEC-

DECMI. P. FLAVI
ANI COLLYRIVM
MIXTVM. C.


pro LENEM legit LENE, collyrium nempe, et vt coniicit, idem forte, quod medici ocularii graeci ἄδηκτον, ἁπαλὸν dixerunt. Quid aſpritudo oculorum fuerit, iam ſupra eſt expoſitum.

XVII.

ANONYMI

AD ASPRITVDI
AD CALIGINEM
LENEM AD IMPE
POST IMPETVM

Sigillum hoc primus euulgauit ill. comes DE CAYLVS *coll. ant. tom.* I. tab. LXXXX.



LXXXX. *num.* 3. ſine addita interpretatione. Non tam medici ocularii, quam pharmacopolae fuiſſe videtur. Quid impetus, quid aſpritudo, quid caligo oculorum ſit in his ſigillis, iam ſupra diximus. LENEM forte eſt *lenementum*, pro *lenimentum*. Hoc enim vocabulo pro ſuauioribus, doloresque lenientibus medicamentis vſus eſt PLINIVS, libr. XXV. *hiſt. nat. cap.* 5. Patet ex hoc coniecturam ill. Comitis CAYLI, qua in antecedente ſigillo LENE pro LENEM legi vult, non eſſe probabilem.



III.

INSCRIPTIONES MEDICORVM OCVLARIORVM

1. *Romae in museo Carpensi*

P. ATTIVS. ATIMETVS
AVG. MEDICVS. AB. OCVL
H. S. E

Ex GRVTERO, IↃLXXXI. 3. Forte idem Atimetus, cuius mentio fit apud SCRIBONIVM LARGVM, *composit.* 120.

2. *Romae in museo Albano*

TI. CLAVDIO.....
MEDICO. OCVLA
RIO VIX. ANN.....
L. COCCEIA VIRO
SVO

Ex MVRATORIO IↃCCCCXXXXV, 2.

3. *Romae, in horto sanctimonialium Barberinarum*

MARIA. Ↄ. L. HILARA SIBI. ET
P. COLIO. P. L. PHILOGENI MEDICO
OCVLARIO. VIRO. SVO. ET
M. FVLVIO. M. L. ZETHO. ET
MARIAI. C. L. NIOBI. ET
MARIAI. C. L. AVCTAE ET
MARIAI. C. L. HELENAI

Ex



Ex MVRATORIO, IƆCCCCLXIIII. 4. Legitur etiam in DONII *inscriptionibus* et apud GVDIVM p. CCXVIIII. 9. Ibi pro COLIVS rectius est COELIVS, pro NIOBI vero NIOBAI. Exstare, ait GVDIVS, inscriptionem hanc *in basi, longa palm.* 5½ *lata* 2.

4. *Fani Fortunae in ambitu monasteriorum Augustinensium, tab. marm.*

Q. COLIVS. Q. L. NICOMEDES
MEDICVS. OCVLARIVS. SEX. VIR
COL. IVL. FANESTRIS
COLIA. Q. L. SALVIA. VXOR.
Q. COLIVS Q. F. POL. FANESTER. FILIVS
VELIA. Q. L. PRISCA VXOR
EX TESTAMENTO FANESTRIS FILI

Ex BOISSARDO *tom.* IIII. *ant.* p. 87. et GRVTERO CCCCXVI. 8.

5. *Isolae in aedibus archipresbyteri in vase rotundo et longo*

Q. CLODIVS. Q. L. NIGER
MEDICVS. OCVLAR. SIBI. ET
Q. CLODIO. Q. L. SALVIO. PATRONO

Lapidem hunc dedit REINESIVS *class.* XI. *num.* 8. p. 611. tum FABRETTVS *inscript. domest. cap.* IIII. p. 300. itemque MAL-

MALVASIA *marmorib. Felsin.* p. 219. Vterque addit tres conlibertos, quibus pariter ac patrono suo lapidem hunc posuerat CLODIVS.

6. e schedis Vaticanis

GN. DOMITIO. DEMETRIO
MEDICO. OCVLARIO
PATRI. SVAVISSIMO
DEMETRIVS. FILIVS. FECIT
ITEM. HIRC. CONIVG. BENE M.
ET. SIBI. POSTERISQVE. SVIS
IN. FRON. P. XXXIV. IN. AG. P. XXXIV.

Ex FABRETTO *inscr. domest.* p. 300. et MALVASIA *marmorib. Felsin.* p. 219.

7. *Assisi in Vmbria, tabulae marm. fragmentum*

P. DECIMIVS. P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS VI. VIR.

Apud BOISSARDVM *tom.* III. *ant.* p. 148. et GRVTERVM, p. CCCC. 7. Noluimus integram ἐπιγραφὴν hic transscribere.

 Quae

Quae enim ſequuntur, ad rem noſtram nil faciunt.

8. *Neapoli apud Caſtellorum*

CN. HELVIVS. CN. L.
IOLLA
MEDICVS OCVLARIVS

Ex GRVTERO, IↃCXXXIIII. 2.

9. *Romae in hortis Carpenſibus*

TI. IVLIVS
AVG. ET
AVGVSTAE. L.
CVTISONVS
MEDICVS
OCVLARIVS
H. S. E.

Ex BOISSARDO *libr.* IIII. *ant.* p. 84. et GRVTERO p. IↃLXXXI. 8. MVRATORIVS inſcriptionem hanc repetiit, p. IↃCCCCXXVII. 5. nomine CVTISONVS in CYTISORVS mutato.

10. *Romae, in ſepulcreto libertorum Liuiae Auguſtae*

M.

M. IVLI. SECVNDI
MEDICI
IN. FR. P. XIIII
IN. AG. P. XIIII

Ex GRVTERO p. IↃCCCCVIII. I. et MAFFEIO *museo Veronensi* p. CXXXV. 2.

II. *Bononiae*

DIS MANIBVS
M. LATINIVS. M. L.
MEDICVS
OCVLARIVS
HERMES. VIXIT. ANNOS
XXXX.

Dederunt hunc lapidem ex ALIDOSII *reb. memorab. Bononiens.* IAC. SPONIVS *misc. erud. ant.* p. 143. et FABRETTVS, p. 300. n. 277.

12. *Veronae*

P. NVMITORIVS. P. L. ASCLEPIADES
IIIIII. VIR. MED. OCVLAR. SIBI ET
SEMPRONIAE. F. GALLAI. VXORI
TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT



Legitur hoc marmor apud ONVPHR. PANVINIVM, *ant. Veron.* p. 242. GRVTERVM CCCCXXXXIII. 4. et MAFFEIVM *Veron. illustrata*, *part.* I. p. 355. *num.* 23.

13. *Romae*, *in villa Corsinia*

D. M.
M. PEVTVCAE
SIB ET SVIS
MEDICO. OCVLARIO

Ex MAFFEI *museo Veronensi*, p. CCLXXX IIII. I.

14. *Vrbini*

C. RVTILIO EVTHETO
MEDICO OCVLARIO
RVTILIA. MYRINE
PATRONO. EIDEM. CONIVGI

Apud FABRETTVM *inscript. domesticis*, p. 299.

15. *Apud Fulu. Vrsinum*


SILICIVS MEDI
CVS. AB. OCVLIS

Exhibent lapidem hunc GRVTERVS p. IϽCXXXV. 3. et MVRATORIVS IϽCCCC XXVII. 14.

16. *Romae, in cippo Tiburtino*

TIBERIVS. TI. CAESAR
AVG. SER. CELADIANVS
MEDICVS OCVLARIVS
PIVS PARENTIVM SVORVM
VIXIT. ANNOS. XXX
HIC. SITVS. EST. IN PERPET

Sic exhibet lapidem GRVTERVS, CIϽCXI. 6. De nomine tamen huius medici res incerta eſt, vtpote quod ex vno hoc marmore apud alios aliter legitur. GRVTERVS enim loco laudato eum vocat TIBERIVM, quam lectionem etiam ſequitur GVDIVS *inſcr* p. CCII. 12. SPONIVS autem *miſcell. erudit. aut.* p. 143. FABRETTVS p. 300. *num.* 274. et MALVASIA *marm.* *Felſin.*



Felsin. p. 219. habent nomen ILLVSTRIVS pro TIBERIVS, LAVRENTIVS PIGNORIVS *de seruis* p. 34. CAROL. PATINVS *monimento Artorii*, p. 450. et RHODIVS *notis ad Scribonium Largum* p. 76. ex hoc nomine duplex faciunt huncque medicum TI. LYRIVM CELADIANVM adpellant. Tandem et ILLYRIVS CELADIANVS dicitur cum a laudato SPONIO *recherch. curieus. d'antiquité* p. 423. tum a MVRATORIO IↃCCCCLVII. 5.




IIII.

IIII.

QVID SIT MEDICO IMPERARE

APVD

ALFENVM VARVM



Quo exploratius est, eam esse artis medendi naturam atque indolem, vt, qui hanc profitentur, permagnum habeant imperium omnibusque, qui curae fideique eorum sese credunt, sic imperare possint, vt ipsis adeo regibus orbisque terrarum dominis salutis suae caussa medico parendi, necessitas sit imposita, eo profecto magis mirum videri debet, apud romanos, aegroto in medicum datum fuisse imperium, et eum, qui parere debuerit, imperasse, qui imperare, conuersa quasi vice paruisse. Res ipsa negari non potest, reperiri in priscis scriptoribus haud obscura eius rei testimonia. Luculentum ea de re effatum habemus apud ALFENVM VARVM *a*), virum cum ob magnam, quae in ipso fuit, iuris scientiam, tum quod eamdem cum humanitatis studiis, secus ac vulgo tum fieri solebat, coniunxerat, clarissimum atque amplissimum. *Medicus*, inquit, *libertus*, *quod putaret*, *si liberti sui medicinam non facerent*, *multo plures* IMPERANTES SIBI *habiturum*, *postulabat*, *vt sequę-*

a) *leg.* XXVI. *digest. de oper. libertor.*

sequerentur se; neque opus facerent. Conspirare cum ALFENI testimonio videtur aliud ex SENECA *b*), his verbis conceptum: *itaque medico, si nihil amplius; quam manum tangit, et me inter eos, quos perambulat, ponit, sine vllo affectu facienda, vitandaque praecipiens, nihil amplius debeo, quia me non tanquam amicum vidit; sed tanquam* IMPERATOREM. Neque vero non referenda huc sunt, quae apud eumdem scriptorem *c*) de Domitii medico legimus: *Corfinum Caesar obsidebat, tenebatur inclusus Domitius,* IMPERAVIT *medico eidemque seruo suo, vt sibi venenum daret:* quae porro VARRO *d*) de medicis, quorum opera coloni, in morbum delapsi, vtantur: quae denique CICERO *e*) de Pisone habet, quorum ille *itaque,* ait, *in hoc genus coloni potius anniuersarios habent vicinos, quibus* IMPERANT, *medicos:* hic vero, Pisonem *medico, quem secum eduxerat,* vt venas incideret, IMPERASSE, refert.

QVID

b) *libr.* VI. *de benef. cap.* 16. *tom.* I. *operum,* p. 797.


c) *libr.* III. *de benef. cap.* 24. p. 678.

d) *libr.* I. *de rustica, cap.* 16.

e) *orat. in Pison. cap.* XXXIIII. p. 745. ed. GRAEVII.

QVID vero? romanos, gentem alias ſapientiſſimam, ſui adeo immemores fuiſſe, credamus, vt aegroti, quid ſibi a medico fieri vellet, optantis, IMPERANTIS vocem eſſe, opinati ſint? Quod quidem tantum abeſt, vt vel minima probabilitatis ſpecie defendere quis poſſit ac tueri, vt doctiſſimi cum ALFENI, tum SENECAE interpretes modo in vtroque ſcriptore mendum haerere falſamque irrepſiſſe lectionem, modo alia ratione difficilem hanc quaeſtionem expediendam eſſe, exiſtimauerint. Ac in ALFENI quidem effato GREGORIVS HALOANDER pro IMPERANTES *implorantes* legendum eſſe, coniicit, ineptum eſſe ratus, ſi aegroti medicis imperare dicantur, quum illi pareant potius, hi, quid aegroto ſanitatis recuperandae cauſſa faciendum ſit, praeſcribere ſoleant. Doctiſſimus legum veterum interpres, DIONYSIVS GOTHOFREDVS *f*) HALOANDRI emendationem haud plane improbat; a vulgari tamen et recepta ſcriptura quare recedamus, nullam adeſſe arbitratur neceſſitatem: *imperantem* hoc loco medicum deſignare, qui remedia morbo laborantibus praeſcribere, iisdemque ſanitatis, aut conſeruandae; aut reparandae leges indicere ſoleat.

f) *not. ad hunc locum.*

ſoleat. ANDREAS etiam ALCIATVS *g*) communem et ipſo codicum ſuffragio munitam lectionem haud deſerendam eſſe, putat; vocabulo tamen *imperare* parendi forſitan notionem ſubiectam olim fuiſſe, licet ſine veterum, quae coniecturam hanc fulciant, teſtimoniis, ſuſpicatur. CASP. A REIES *h*) iis, quibus Alfeni locus corruptus ac deprauatus eſſe, videtur, haud obſcure fauet; addit tamen, ſi quis verba iſta habere ſana velit, eadem ex precantium more interpretanda eſſe, qui id, quod rogent ab amicis, non rogare ſaepe; ſed pro loquendi vſu et conſuetudine iubere ac imperare videantur. In alia omnia diſcedit FRANC. DVARENVS *i*), qui, quod medici difficillimos ſaepe aegrotantium mores patienter ferre, eorum aſperitatem blanditiis frangere ac lenire, multasque illorum ineptias deuorare debeant, haud ſecus, ac ſi regis; aut tyranni ſubeſſent imperio, hanc ipſam ob cauſſam aegrotos imperare medicis dictos olim eſſe, opinatur. Vt ALFENI; ſic et SENECAE de *aegroto imperante* locus mirum

g) *libr.* VII. *parerg. cap.* 13.

h) *elyſio incundarum quaeſtionum campo*, Bruxellae CIↃIↃCLXVI. edito, *quaeſt.* VIII. p. 69.

i) *libr.* I. *diſp. anniuerſar. cap.* 54. p. 1052. eius operum.

rum in modum interpretum ingenia exercuit, quorum alii emendatione, alii alia ratione difficultati huic ſubuenire eamque tollere ſtuduerunt. Ac illorum quidem coniecturas, ANTONII nominatim MVRETI *k*), IOANNIS OPSOPOEI *l*), FERDINANDI PINTIANI *m*), CASPARIS A REIES *n*) aliorumque, modo pro vocabulo *imperatorem*, *intemperantem*, ſubſtituentium, modo *inuocatorem*; aut *emtorem*, modo, permutato nominandi et adcuſandi caſu, *non tanquam amicus*; *ſed tanquam imperator*, legentium, tanto minus exponere hic copioſius, libet; quo magis receptam verborum Senecae lectionem omnium fere huius ſcriptoris codicum conſenſus ſtabilire ſatisque defendere videtur. Recte hoc agnouit, praeter IVSTVM LIPSIVM, vir ſummi ingenii CLAVDIVS SALMASIVS *o*) nihil,


k) *notis ad hunc locum*, quae *operum* SENECEA editionibus pariſienſibus annorum CIƆIƆCII. CIƆIƆCVII. CIƆIƆCXXVII. fol. additae ſunt. Muretum in his animaduerſionibus ingenio ſuo nimis indulſiſſe, alii iam obſeruarunt.

l) *notis ad hunc locum*, quae etiam in modo dictis SENECAE editionibus leguntur.

m) *caſtigationibus in Senecam*, *libr.* VI. *de benef. cap.* 16.

n) *elyſ. iucund. quaeſt. campo*, p. 67.

o) *not. ad Senecam*, *tom.* I. *operum*, p. 798. edit. GRONOVII.



nihil, ratus, mutandum: ipſa ſcriptoris verba ad ſalutatorum officia matutina, imperatoribus praeſtita *p*), eſſe referenda: loqui philoſophum de medicis, aegrotos ſalutatorum quaſi more inuiſentibus, hos, vix ſalutato principe, ſine vlla mora diſcedere: illos, ſi idem faciant, haud amplam mercedem polliceri ſibi poſſe.

SI, quid nos ſentiamus, dicendum ſit, nec in vtroque, Alfeni et Senecae, effato quid mutandum; nec ipſam iubendi notionem, quam conſtans fere vſus vocabulo *imperare* adſignauit, plane negligendam; ſed totam hanc agitatam litem ex ipſo apud romanos medicorum ſtatu eorumque conditione dirimendam eſſe, arbitramur. Etſi enim iam tertii et quarti poſt vrbem conditam ſeculi temporibus ingenuos ciues artis medicae ſtudioſos fuiſſe, DIONYSII *Halicarnaſſenſis* *q*) teſtimonio vincere nonnulli voluerunt: *r*) etſi ſeculo deinde quinto graeca medicina, primis eius-

p) dignus eſt, qui legatur, IO. IACOB. CLAVDIVS *diſſ. de ſalutationibus veterum*, Vltraiecti CIↃIↃCCII. 12. edita.

q) *libr.* X. *hiſtoriar.* p. 677.

r) legantur IO. HENR. SCHVLZIVS *hiſtor. medicinae*, *period.* II. *cap.* 6. p. 431. et HENR. LAMPIVS *de honoribus*, *priuilegiis et iuribus ſingularibus medicornm*, p. 86.

eiusdem ſeminibus cum Aeſculapii cultu Romam delatis *s*), a ſacerdotibus, honeſtiſſimi ordinis viris, coli coepit atque exerceri *t*): etſi porro ſeculo ſexto, abrogata et proſcripta Archagathi, medici graeci duriore medendi ratione *u*), Aſclepiadis potiſſimum cura nobiliſſima haec ars, prout in Graecia ad diſciplinae formam redacta fuerat, ad magnum in vrbe honoris faſtigium perducta, artibusque, ingenuo ciue digniſſimis, adnumerata fuit *x*): etſi inſcriptiones multorum ab eo tempore haud vilioris ſortis medicorum mentionem faciunt iisdemque libertos libertasque diſertis verbis tribuunt *y*): etſi Caeſar Auguſtus liber-

s) conf. *epitomator libri vndecimi hiſt.* LIVII et VALERIVS MAXIMVS *libr.* I. *cap.* 8. §. 2.

t) legatur IO. HENR. SCHVLZIVS *loco memorato.*

u) teſte PLINIO, *libr.* XXVIIII. *hiſt. nat. cap.* I. Addatur ex recentioribus IOSEPHVS CARAFA *libr.* I. *de gymnaſio roman. cap.* I. §. 8. p. 22.

x) de Aſclepiadis vita eiusque in artem medicam meritis data opera eſt commentatus ANTONIVS COCCHI *in diſcorſo primo ſopra Aſclepiade*, Florentiae, anno praeterito forma ſecunda, poſt auctoris mortem ab eius filio RAIMVNDO COCCHI in lucem publicam emiſſo.

y) vide IAN. GRVTERVM p. IƆLXXXI. 10. IƆCXXXIIII. 3. MARQVARD. GVDIVM *inſcript.* p. CCXI. *num.* 10. THOM. REINESIVM *ſynt. inſcript.* p. 611. *num.* 7. et *epiſt. ad Rupert.* XXXV. p. 270. et ANTON. FRANC.

bertate medicos exteros donauit; Augustus vero, in Antonii Musae medici honorem, immunitatem addidit z): etsi postea salutaris haec disciplina in tantam apud romanos venit existimationem, vt singulares medicorum scholae in vrbe essent *a*), et medicinae professores reliquis liberalium artium doctoribus, vt ex marmore antiquo *b*) et *codice Theodosiano* *c*) patet, adiungerentur; a primis tamen reipublicae romanae temporibus vsque ad imperatoris Iustiniani aetatem nulla fere nobilior familia seruis medicis caruisse, videtur. Frequens admodum eorum mentio fit in priscis apud GRVTERVM, REINESIVM, GVDIVM et MVRATORIVM lapidibus, ex quibus simul multa illorum olim exstitisse genera, haud obscure animaduertere licet. Laudantur enim in his *d*) serui medici CLINICI,

FRANC. GORIVM *columbar. libert. et seruor. Liuiae Augustae*, p. 121. Adcollatis BYNCKERSHOECKII *obseruationibus iuris romani libr.* III. *cap.* 7. p. 245.

z) legatur BARNAB. BRISSONIVS *libr.* II. *selectar. ex iure ciuili antiquitatum, cap.* 3.

a) patet id ex lapide antiquo apud GRVTERVM p. IↃCXXXII. *inscr.* 4. Addatur AEGID. MENAGIVS *amoenit. iur. ciuil. cap.* 35. p. 223.

b) apud GRVTERVM p XXXVIII. 14. p. CXII. 3.

c) *leg.* I. *de prof. et med. tom.* V. p. 26. ed. RITTERI.

d) apud LAVR. PIGNO-

NICI, CHIRVRGI, OCVLARII, AVRICVLARII, IATRALIPTAE, VALETVDINARIIS PRAEFECTI aliique, quos ſilentio praeterimus. Erat igitur florentiſſimis reipublicae romanae temporibus, tum et imperatorum aeuo duplex in vrbe medicorum genus, ſeruile alterum, alterum ingenuum et honeſtiſſimae conditionis, illud vulgare, plebeium et, maximam ſaltem partem, rude atque illitteratum, hoc doctum bonisque artibus inſtitutum et graecae potisſimum medicinae diſciplinis egregie imbutum.

IAM vero, ſi aegros medicis imperaſſe apud romanos, legimus, probe tenendum eſt, hoc de medicis ſeruis, et non niſi ea ratione intelligendum eſſe, vt ipſum, cui ſubiecti dicantur, imperium ad artis exercitium, quod dominus eorum fieri iuſſit iubereque potuit; minus vero ad ipſum medendi modum ſpectaſſe videatur. Hunc enim ſi reputamus, conuerſa quaſi vice ſummum medicos habere imperium, ipſi romani, perinde ac graeci aliaeque gentes, ſatis ſuperque agnouerunt. PLINIVS *e*) de arte medica, *hanc vnam*, ait, *artium*, IMPE-

GNORIVM *de ſeruis* p. 71. ſq.

e) *libr.* XXIIII. *cap.* I.



IMPERATORIBVS *quoque* IMPERARE. SENECA *f*), *si intrassem*, inquit, *valetudinarium, non idem* IMPERASSEM *omnibus per diuersa aegrotantibus*. Apud TERENTIVM *g*) Lesbia, medicinam faciens, in scenam prodit, *signa*, fatetur, *esse ad salutem*; tum vero pergit:

> quod IVSSI *ei dari bibere et, quantum* IMPERAVI, *date*,

paulo vero post Simo:

> *non* IMPERABAT *coram, quid opus facto esset puerperae*.

Diogenis de hoc medicorum imperio dictum LAERTIVS *h*) litteris consignauit. Sic vero iste: ἔλεγε (Διογένης) τῷ Ξενιάδῃ, τῷ πριαμένῳ αὐτὸν, δεῖν πείθεσθαι αὐτῷ, εἰ καὶ δοῦλος εἴη, καὶ γὰρ ἰατρὸς ἢ κυβερνήτης εἰ δοῦλος εἴη, πεισθῆναι δεῖν αὐτῷ, *dicebat Xeniadae emtori suo, ipsum sibi, quamuis esset seruus, obtemperare oportere, nam et medicum et gubernatorem, etiamsi seruum, vtique sibi velle pareri*. Idem PLATO, idem alii veteres scriptores fatentur, quorum testimonia apud CASPAR. AREIES *i*) legun-

f) *libr*. I. *de ira, cap*. 16.

g) *andr. act*. III. *scen*. 2. v. 4. et 10.

h) *libr*. VI. *de vit. philosoph. segm*. 31. p. 330.

i) *elys. iucund. quaest. camp*. p. 67. 68.

guntur. At vero, quum hoc medentium imperium artis quasi proprium et omnium, qui morbis depellendis adsciti olim fuere, commune exstitit; tum medicis nonnullis singulare quodammodo apud romanos datum fuisse, legimus, ciuile nimirum et cum honestissimo publico, quo functi dicuntur, officio coniunctum. Ita fuere, quibus in ceteros medicos adsignatum olim fuit imperium, et qui SVPERPOSITI MEDICORVM in lapide apud GRVTERVM *k*), in aliis apud ANTON. FRANC. GORIVM *l*) SVPRA MEDICOS et DECVRIONES MEDICORVM dicuntur. Fuere, vt ex laudato GRVTERO *m*) et THOM. REINESIO *n*) patet, medici SEVIRI AVGVSTALES, de quorum imperio, praeter MARC. VELSERVM *o*) et THOM. REINESIUM *p*), HENRICVS NORISIVS *q*) est commentatus. Fuere porro in medicis, qui MAGISTRORVM VICI munus in se deuolui paterentur, si vera est lapidis antiqui

k) *inscript.* p. IↃLXXXI. 7.

l) *columbar. libert. et seruor. Liuiae Augustae, inscr.* LXXVI. p. 121. 122.

m) p. CCCCXXXXIII. 4. CCCCLX. 8. CCCCLXIIII. 6.

n) p. 607. *num.* 2.

o) *rerum Vindel. libr.* V. p. 82.

p) *epistol.* XXXI. *ad Rupertum.* p. 149.

q) *cenotaph. Pisan.* I. *diss.* 6. p. 118.

tiqui interpretatio, quam LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS *r*) dedit. Sunt denique, qui totos ſe reipublicae tradidiſſe ſibique mandatos magiſtratus amplisſimos magna cum laude geſſiſſe, leguntur. Egregium praebet exemplum pruſenſis medicus, Adriani temporibus clarus, C. Calpurnius Aſclepiades, quem *ſtudiorum et morum cauſſa probatum a viris clariſſimis*, ADSEDISSE MAGISTRATIBVS POPVLI ROMANI, vetus REINESIANVM *s*) marmor teſtatur.


r) *nouo theſ. inſcript.* p. ↀↀCCCCXXXVII. I.

s) *claſſ.* XI. *inſcr.* 4. p. 608.

V

V.

HISTORIA ASCLEPIADARVM



De medico Prusensi ASCLEPIADE PLINIVS et CELSVS litteris mandarunt, eum non tam vsu medicamentorum; quam victus ratione morbos depellere optimamque sanitatis tuendae rationem in diaetae prudentia figere ac collocare voluisse. Patet id haud obscure ex ipsis scriptorum horum testimoniis, quae vt hoc legantur, tanto magis interesse, arbitramur; quo luculentius rem ipsam, de qua disputatur, stabilire ac confirmare videntur. PLINIVS *a*) enim, *Asclepiades*, inquit, *aetate magni Pompeii orandi magister, - - torrenti ac meditata oratione blandiens, omnia abdicauit totamque medicinam ad caussam reuocando coniecturam fecit, quinque res maxime communium auxiliorum professus, abstinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes, quae quum vnusquisque semetipsum sibi praestare posse, intelligeret, fauentibus cunctis, vt essent vera, quae facillima erant, vniuersum prope humanum genus circumegit in se, non alio modo, quam si caelo emissus aduenisset b*). Haec de

a) *libr.* XXVI. *hist. nat. cap.* 3. *tom.* II. p.391. edit. HARDVINI, coll. *libr.* VII. *cap.* 37.

b) *alias vini*, id est *aliquando vini*, scil. *abstinentiam*, quod vocabulum antecessit. Quinque vero illa diaetae genera *auxilia maxime communia* dicit PLINIVS,

de Asclepiade PLINIVS, eadem de ipso, quamquam paullo strictius, habet CELSVS c), cuius verba itidem hic adscribenda esse ducimus. *Horum* medicamentorum, ait, *vsum ex magna parte Asclepiades non sine caussa sustulit et quum omnia fere medicamenta stomachum laedant malique succi sint, ad ipsius victus rationem potius omnem curam suam transtulit.* Iam, quis Asclepiades ille fuerit, quum plures eiusdem nominis exstiterunt apud veteres, merito quaeritur. Ac id quidem in praesenti excutere volumus. Necesse vero est, vt primum de ipsa familia Asclepiadarum nonnulla in medium adferamus.

ASCLEPIADARVM haud vna olim ratio et conditio fuit, si ipsum, quod gesserunt, *Asclepiadis*, vel *Asclepiadae* nomen eiusque diuersum apud veteres vsum reputamus. Primum enim nomen istud gentis fuisse videtur, eorum tantum proprium, qui vel ab ipso Aesculapio genus suum deriuarunt *d*), vel per adoptionem in Asclepiadarum olim transierant familiam *e*). Ac hi fere

NIVS, ipsum Asclepiadam ea in re sequutus, qui librum singularem de hoc argumento exarauerat, *communia auxilia* inscriptum, vt CELSVS testatur *libr.* II. *de medicina cap.* 14. p. 87. ed. ALMELOVEENII.

c) *libr.* V. *de medic. praefat.* p. 241.

d) vid. IO. HENR. SCHVLZIVS *hist. medicinae period.* I. *sect.* 2. *cap.* 4. §. 28. sq. p. 138.

e) legatur SCHVLZIVS *loco memorato*.

fere ſunt, qui Aeſculapii ſacris praefecti in huius dei templis medicinam fecere: qui, accedente ad eius aeui ſuperſtitionem callida et quaeſtuoſa fraude *f*), morbo laborantibus per incubationem ſunt opitulati *g*): quorum medicinae memoriam inſignia aliquot graeca marmora ad noſtra vsque tempora detulerunt *h*): qui Ἀσκληπιάδαι τῷ γένει in antiquis lapidibus *i*) vocantur: in quorum porro cenſu & numero Diocles ille Caryſtius, haud multo poſt Hippocratis

 mor-

f) dignus eſt, qui ea de re legatur LVCIANI *dialogus*, *Alexander* ſiue *pſeudomantis* inſcriptus, *tom.* I. *operum p.* 746. et ARISTOPHANIS *Plutus*, p. 7. ſq. ed. KVSTERI.

g) videatur HERMANNVS CONRINGIVS *exercit. de incubatione in fanis deorum, medicinæ cauſſa olim facta*, Helmſt. CIↃIↃCLVIIII quae recuſa eſt *faſciculo diſſ. rar. de antiquitatibus ſacris et profanis*, a viro cel. IVL. CAR. SCHLAEGERO, Helmſtad. CIↃIↃCCXXXXII. in lucem publicam edito, p. 125. ſq. De eodem argumento CAROL. FRID. HVNDERTMARCKIVS diſputauit *libro ſingulari de incrementis artis medicae per expoſit. aegrotorum apud veteres in vias publicas et templa*, Lipſiae, CIↃIↃCCXXXXVIIII. 4.

h) vide egregium marmor, quod huc apprime facit, apud SMETIVM *inſcript.* p. XXVIIII. et GRVTERVM p. LXXI. I. aliaque eius generis monimenta apud HIERONYMVM MERCVRIALEM *de arte gymnaſtica*, p. 2. ſq. Eo quoque pertinent, quae apud TIBVLLVM de Iſidis fano leguntur *libr.* I. *eleg.* 3. v. 27. p. 205. edit. GRAEVII, et quae ex recentioribus ſcriptoribus de hoc argumento adtulit HENRIC. LAMPIVS *de honore, priuilegiis et iuribus medicorum*, *cap.* II. §. 7. p. 43. ſq.

i) apud GRVTERVM p. IↃCXXXIII. I.

mortem clarus *k*), itemque Α. ΦΟΝΤΕΙΟΣ ΦΟΡΤΙΣ *l*) aliique fuerunt: quorum denique genus ac ſtirpem nonnulli hiſtoriae medicae ſcriptores ex antiquis monimentis contexere', ſunt adgreſſi *m*). Exſtincta Aſclepiadarum familia, frequentius nomen Aſclepiadae vſurpari coepit, aliis cognominis loco, nulla gentis aut vitae habita ratione *n*), aliis propter artem, quam profitebantur, id ſibi adſciſcentibus, et vt illuſtri hoc nomine auctoritatem ſibi, fidem medicamentis, a ſe praeparatis, conciliarent.

k) controuerſiam de aetate huius Dioclis inter doctos viros agitatam erudite diſcuſſit IO. HENRICVS SCHVLZIVS *hiſtoriae medicinae period.* II. *cap.* 2. §. XII. p. 337. Is eſt DIOCLES, quem CELSVS aliquoties laudat inſtrumentumque, ab ipſo inuentum, commendat, quo tela corporibus infixa, extrahi commode poterant quodue Graeci ab auctore Διοκλέυς γραφίσκον vocant. Legatur CELSVS *libr.* VII. *de medicina cap.* 5. p. 418.

l) vide IAN. IAC. BOISSARDVM *part.* IIII. *ant. roman.* p. 136. GRVTERVM p. IↃ C X X X IIII. I. et REINESIVM *ſyntagm. inſcript.* p. 609. Forte et huc pertinet ſmyrnaeus ille ASCLEPIADES apud REINESIVM *claſſ.* XI. n. 8. p. 610.

m) conf. DAN. CLERICVS *hiſt. medicinae part.* I. ad finem *libri* IIII.

n) eo ſpectant marmora apud GRVTERVM p. XCIII. 8. CXXVI. CCCC LXVII. 6. IↃ CLXXVI. 4. IↃ CCL VIII. 5. IↃ CCL XXX. I. IↃ CC C X X X. I. IↃ CCCXXXII. 8. SPONIVM *miſcell. erud. ant.* p. 32. GVDIVM p. CCCXXII. 3. MVRATORIVM p. CIↃ CXXVI. 8. vt de iis taceamus, quorum FABRICIVS *biblioth. graec.* vol. XIIII. p. 423. et VOSSIVS *hiſt. graec.*

rent. In quibus ſex potiſſimum ſunt, quorum nomi nis memoria in antiquis libris et monimentis nobis ſeruata eſt, probe a ſe inuicem, ni ſi nos omnes rationes fallunt, ſecernendi ac ſe parandi. *Primus* eorum inſignis ille Pruſenſis eſt medicus, qui Pompeii magni temporibus floruit, Romamque ingenii ſui ac doctrinae fama haud parum illuſtrauit. Vir multae eruditionis et ſummae inter aetatis ſuae medicos auctoritatis, quem STRABO *o*) inter Bithynos ἀξιολόγους κατὰ παιδείαν ἄνδρας numerat, et cui APVLEIVS *p*) honorificum hoc et magni ponderis tribuit praeconium, *inter praecipuos medicorum, ſi vnus Hippocrates exciperetur, ceteris principem* eum fuiſſe. Ac is quidem eſt Aſclepiades, quem veteres Apollonii Eraſiſtratei diſcipulum fuiſſe, memorant: quo medico ſe et amico vſum eſſe, CICERO *q*) teſtatur: qui Chryſippum, Themiſonem Laodiceum, Areium Niceratum, Iulium Baſſum, Petronium, Sextium Nigrum, Diodotum, Artorium aliosque haud ignobiles medicos *r*) diſciplinae ſuae alumnos nouaeque a ſe

graec. IIII. p. 409. mentionem fecerunt.

o) libr. XII. *geogr.* p. 849. edit. ALMELOVEENII.

p) *florid.* p. 362. edit. ELMENHORSTII.

q) *libr.* I. *de oratore cap* 14.

r) videatur de his REINESIVS *not. ad inſcript. claſſ.* XI. *num.* 4. p. 609. eiusque epiſtola XXXXVI. *ad*



a se conditae sectae patronos ac fautores habuit, & cuius denique ingenii monimenta COELIVS AVRELIANVS, GALENVS, SCRIBONIVS LARGVS, CELSVS aliique eius et posterioris aeui medici mirum in modum laudare solent ac praedicare. *Secundus*, ASCLEPIADES *iunior* et, ob multa, quae composuit, medicamenta, Φαρμακίων dictus, Neronis Domitianique temporibus vixisse, dicitur. Saepe eius mentionem fecit et, quae ille vlceribus adplicari voluit, remedia diligenter et sollicite descripsit

ad Rupertum, p. 395. Artorius, cuius mentionem fecimus, is est, qui Augusto, bello Philippensi contra Brutum et Cassium aegrotanti, adfuit, vt ex VALERIO MAXIMO *libr.* I. *cap.* 7. VELLEIO PATERCVLO *libr.* II. *cap.* 70. §. 2. FLORO *libr.* IIII. *cap.* 7. §. 9. APPIANO *de bello ciuili libr.* IIII. p. 653. aliisque patet, a BERNEGGERO *not. in Suetonium vit. Aug. cap.* XIII. et DVKERO *not. in Florum*, p. 749. laudatis. Addatur GALENVS *libr. I. de differ. morb. cap.* 9. Falsa autem sine dubio est coniectura PETRI LAMBECII *biblioth. caesar. libr.* II. *cap.* 7. in locum *Artorii* apud VALERIVM MAXIMVM Antonium Musam substituentis. Conf. CAROLVS PATINVS *commentario in antiquum cenotaphium Marci Artorii medici Caesaris Augusti*, Patau. CIƆIƆCLXXXVIIII. 4.

s) de scriptis Asclepiadae acturum se in *historia medicorum*, promisit REINESIVS *locis memoratis*. Quae historia quum lucem non vidit; labore hoc feliciter functus deinde est IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graeca*, *libr.* VI. *cap.* 9. p. 90. Asclepiadae huius imago et monumentum seruatur apud illustrissimum Alexandrum Albanum, quod singulari dissertatione docte illustrauit BLA-

psit GALENVS *t*). Ex quo et coniecturam faciunt nonnulli, nostra quidem sententia haud improbabilem, hunc esse Asclepiadem illum, qui Nicetam sophistam, Plinii iunioris in arte oratoria praeceptorem, graui et perdifficili morbo liberauerit *u*). In Domitiani imperatoris tempora incidit quoque illius Asclepiadae aetas, cui *tertium* in hoc veterum medicorum coetu locum adsignandum esse duximus. Memoriam eius nobis commendat lapis REI-NESIA-

BLASIVS CARYOPHILVS. Legitur ea *parte prima dissertationum miscellanearum*, quae *Romae* CIↃIↃCCXVIII. prodierunt, et gallice versa in CLERICI *historia medicinae*. Amstelodami CIↃIↃCCXXIII. 4. in lucem publicam edita, p. 410.

t) testimonia GALENI, quae huc faciunt, collegit REINESIVS *epist.* XXXVI. *ad Rupertum* p. 395. ex REINESIO depromsit IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. libr.* VI. *cap.* 9. p. 89. De tempore, quo Asclepiades hic iunior vixerit, si quaerimus, tota res facile expediri posse videtur ex duobus GALENI et TACITI effatis. Ille enim Asclepiadam post Chariclem vixisse tradit, *libr.* II. *de comp. med. s. l. cap.* 2. *num.* 7. Chariclem autem TACITVS dicit *medicum* Tiberii aetate *arte insignem*, *libr.* VI. *annalium cap.* 50.

u) eius enim corpus ad tantam molem et crassitudinem adcreuerat, vt loco moueri haud posset. Conf. GALENVS *libr. de differ. morb. cap.* 9. Nicetam hunc PLINIVS in arte oratoria magistrum habuit, vt ipse *libr.* VI. *epist.* 6. p. 407. testatur. Plura de ipso habentur apud LIPSIVM *not. ad* AVCTOREM *de caussis corruptae eloquent. cap.* XV. Meminit eiusdem Nicetae SENECA *controu.* XXV. et PHILOSTRATVS *libr.* I. *de vitis sophistar.* p. 510.



NESIANVS, quo is L. ARRVNTIVS SEMPRONIANVS ASCLEPIADES IMP. DOMITIANI MEDICVS vocatur. Quum lapis iste ex Arruntia gente Asclepiadam hunc fuisse, manifeste docet, qui forte, vt ex eius cognomine suspicari licet, in Semproniam transierat, non sine veri specie ad eius Arruntii familiam pertinuisse, videtur, quem PLINIVS *y*) Cassio, Calpetano Albutio Rubrioque adiungit, medicis olim celeberrimis, quibus, vt ibidem refert, *ducena quinquagena* H. S. *apud principes* constituta fuerint. *Quartus* medicus CALPVRNIVS ASCLEPIADES, Traiani, Adriani et T. Antonini temporibus admodum clarus et honoratus, summo iure Asclepiadarum nostrorum classi adnumerandus esse videtur. Cuius memoria sine dubio hodie plane interiisset, tacentibus de eo, quantum nos quidem scimus, priscis scriptoribus cunctis, nisi inuiolatam eam ad nostra vsque tempora detulisset insigne antiquitatis monimentum *yy*), Asclepiadae huic

x) *class.* XI. *num.* 3. p. 608.

y) *libr.* XXVIIII. *hist. natural. cap.* I. p. 494. edit. HARDVINI.

yy) apud REINESIVM *inscript. class.* XI. *num.* 4. p. 608. coll. eius *epistolis ad Hofmann.* et *Rupertum num.* XXXXI. p. 328. et XXXXIIII. p. 394. et SPONIVM in *recherch. curieus. d'antiquité*, *diss.* XXVII. p. 431. Idem marmor exhibent ALMELOVEENIVS *notis ad Stra-*

huic honoris cauſſa poſitum ſicque comparatum, vt ampliſſimo eum loco et ſummis honoribus dignum olim habitum fuiſſe, ſatis et abunde ex iſto pateat. Dicitur in eo PRVSA AD OLYMPVM MEDICVS, ex quo cum REINESIO z) ad ſuſpicandum ducimur, Pruſenſis illius Aſclepiadae, quem primo loco nominauimus, non ſolum ciuem; ſed etiam gentilem, immo heredem artis et forte nepotem eum fuiſſe. SEPTEM porro CIVITATES A DIVO TRAIANO Aſclepiades hic impetraſſe dicitur, non quod ipſis ciuitatibus, vt nonnulli voluere a), donatus ab imperatore fuit; ſed propter tot ciuitatum iura, quae honoris et beneuolentiae cauſſa eſt conſequutus, iſtius aeui more et conſuetudine, qua vrbes nobiliores viris bene de ſe deque republica meritis ciuitatis ius impertire eosque in ciuium ſuorum numerum refer-

Strabonem, p. 850. HENR. LAMPIVS *de honore, priuilegiis et iuribus medicor.* p. 110. et DAN. VINCKIVS *amoenitat. philol. medicis*, p. 169

z) *not. ad inſcript.* p. 608.

a) videantur, quae eam in rem contra SPONIVM monuit DAN. VINCKIVS *amoenitatibus philologico medicis ſect.* II. *cap.* 5. §. 6. p. 169. coll. CLERICO *hiſtor. medicinae part.* II. *libr.* III. *cap.* 10. LAMPIO *diſſ. de honore, priuilegiis et iuribus medicorum*, p. 110. et, qui inſtar omnium eſſe poteſt, EZECH. SPANHEMIO *orb. rom.* p. 28. et 29. edit. Londin. Quae in noſtro lapide de ſeptem ciuitatibus, Aſclepiadae a Traiano donatis, leguntur, egregie illuſtrant verba CICERONIS *orat. pro Cornel. Balbo*, *cap.* XII. p. 547. et *pro Archia poeta.* p. 300. et GRAEVII.

referre ſolebant. Additur denique de Asclepiadae huius honoribus, ſummos eosdem et ampliſſimos in republica fuiſſe. STVDIORVM enim ET MORVM CAVSSA, verba ſunt marmoris, PROBATVS A VIRIS CLARISSIMIS ADSEDIT MAGISTRATIBVS POPVLI ROMANI, ſicque medici ac iudicis perſonam aeque ſuſtinuit, magiſtratusque, ob praeclara in rempublicam ſtudia, ob ſingularem erga ciues fidem et probitatem, verbo: ob morum integritatem et praeſtantiam ſibi commiſſos, egregie et laudabiliter adminiſtrauit. Sed ſatis de hoc medico. Sequantur bini vltimi, quorum is, quem ordine *quintum* eſſe volumus, nominis ſui memoriam et ad noſtra tempora propagationem, haud ſecus ac *Pruſa* ille *ad Olympum medicus*, merito acceptam fert antiquo lapidi, quem apud GRVTERVM *b*), iuxta amphitheatrum Romae effoſſum eſſe, legimus. Cognitus ex eo nobis fit Auguſti quidam libertus, T. ΑΙΛΙΟϹ ΑϹΚΛΗΠΙΑΔΗϹ ΙΑΤΡΟϹ ΛΟΥΔ. ΜΑΤ. ΧΕΙΡ. *medicus ludi matutini chirurgus*, vir attentione noſtra eo magis dignus, quo luculentius, niſi nos omnia fallunt, iſtius pariter ac Eutychi *c*) et C. Auſturnii *d*) exemplum docere nos videtur, ſingulares olim Romae ludorum fuiſſe medicos, qui graeco more medici-

b) p. CCCXXXV. 1.

c) apud GRVTERVM p. LXV. 3.

d) apud eumdem p. CCCXXXV. 3.

dicinam in amphitheatris profiterentur *e*), gladiatoribus rationem victus praescriberent, sauciorum curam haberent, vulnera obligarent laesaque gladiatorum ac bestiariorum membra in pristinum integritatis statum restituerent. Agmen denique claudat et romano huic Asclepiadae comes ac socius sit Veronensis, in huius nominis medicorum ordine *sextus*, P. Numitorius, Publii Libertus, medicus ocularius et seuiratus apud Veronenses honoribus olim functus. Vetus est marmor, a IAN. GRVTERO, ONVPHRIO PANVINIO, et illustriss. marchione SCIPIONE MAFFEO exhibitum, quod medici huius mentionem facit, ac simul, quum seuiros ciuilibus magistratibus adscribendos esse, hodie extra omnem dubitationem positum est *f*), Asclepiadae huius, perinde ac Prusensis illius, praeclarum de republica bene merendi studium satis demonstrat ac commendat. Ambo enim valetudinis ciuium et publicae salutis parem curam habere videntur. Ambo sanant aegrotos, et praesunt rei-

e) legatur IVSTVS LIPSIVS *libr.* I. *saturnal. serm. tom.* III. *operum* p. 909. coll. p. 958. Ex quo disci etiam ludorum matutinorum ratio potest. Athletis graecorum singulares medicos fuisse, ex ARRIANO probatur ibidem.

f) egregie id monstrauit cel. CHRISTOPH. SAXIVS *lapidum vetustorum epigrammatibus*, p. 11. sq. coll. HANNIBALE DE ABBATIBVS OLIVERIO *not. ad marm. Pisaurensia*, p. 23.

reipublicae. Ambo adſident aegrotantium lectulis eodem cum fructu, quo iudicum occupant ſubſellia. Ambo ciuibus ad ſanitatem, ad ſalutem ciuitati ſummo ſunt praeſidio.

IN hac Aſclepiadarum familia is, quem ducere agmen voluimus, omnium conſenſu auctor illarum de victu legum habetur, quibus primariam valetudinis curandae rationem contineri, et ipſe, et multi eius diſcipuli exiſtimarunt. Neque vero non praeclare et recte de ſumma ad conſeruandam reſtituendamque valetudinem ſobrii victus neceſſitate Aſclepiadam noſtrum pronuntiaſſe, fatendum eſt, ſi modo, quae eius ea de re mens, quae ſententia, quod conſilium fuerit, rite et vti decet, intelligamus. Neutiquam enim in morbis et ſalutarem medicamentorum vim et ſapientem eorum vſum plane reieciſſe; ſed hoc tantummodo voluiſſe videtur, in quo prudentiſſimum quemque medicorum ſecum conſentientem habebit, ad bonam valetudinem tuendam permultum victus rationem valere: multis medicum haud opus fore, ſi cibo et potu aliisque communibus diætæ auxiliis prudenti et ad corporis ſui naturam adcommodata ratione vterentur: eſſe naturae vires ſaepe ſic comparatas, vt debilitatae ſolo cibo et potu recreari, amiſſae ſobrio victu reuocari queant, ſine fomento; aut vnguentis iatraliptarum; aut ſuccis; aut potionibus, infinita, vt medici veteres nonnunquam ſolebant, herbarum copia praeparatis.

VI.

VI.

DE MEDICINA VETERVM LAPIDARI

Quum animaduertimus, veteres chirurgos singulare quoddam λιθολογίας genus ad disciplinam suam traduxisse, neminemque eorum facile fuisse, quin aliquam saltem lapidum συλλογὴν, exercendae potissimum artis suae caussa, institueret, rem haud iniucundam nos suscepturos, arbitrati sumus, si quaedam de lithologia veterum chirurgica commentaremur. Fuit olim tempus, quo permultis lapidibus vis quaedam salutaris, inprimis ad sananda vulnera et ad restituenda laesa corporis humani membra, tribueretur. *Achatem* idcirco ORPHEVS *a*) commendat iis, qui venenato scorpii ictu vulnerarentur iubetque eum ἀεϱ]άζειν περὶ ἕλκει λυγϱῷ, ἤ μιν ἐπιπάσσειν, *imponere vulneri exitioso aut inspergere*, eius nempe puluerem. *Saphiro* multas virtutes tribuit DIOSCORIDES *b*), etiam in tollendis externis prauitatibus corporis, quales ςαφυλώμα]α sunt et φλύκταιναι et ῥήξεις τῶν ὑμένων, *excrescentia in oculis*, *pustulae* et *rupturae membranarum*. Idem *c*) *memphitae*, siue, vt alii eum vocant, *ophitae* lapidi hanc

 vim

a) λιθικοῖς, *cap.* XVI. p. 343. *operum*, edit. GESNERI.

b) *libr.* V. περὶ ὕλης ἰατρικῆς, *libr.* V. *cap.* 157. p. 311. edit. Parisin.

c) ibid. *cap.* 158 p. 312.



vim adſcribit, efficere, quum tritus et illitus fuerit, ἀναισθησίαν ἀκίνδυνον, *inſenſibilitatem minus periculoſam* in ea corporis parte, vbi aliquid vrendum ſit, aut ſecandum. Eamdem facultatem lapidi huic etiam adſignat PLINIVS *d*). Vult eum contuſum et cum aceto mixtum corpori illini, quo facto, ſic obſtupeſcere, ait, corpus, vt nullum ſentiat cruciatum. Ac has quidem aliasque multas virtutes χειρεργικὰς lapidibus impertire ſolent medici veteres, nominatim lapidi *nephritico e*), *chabazio f*), *armenio g*), *pumici h*), lapidi *phrygio i*), *aſſio k*), *pyritae l*), *ſchiſto m*), lapidi *arabico n*), *galactitae o*), *morochtho p*), *oſtracitae q*), *geodi r*), *melititae s*), *gagatae t*) aliisque, in quibus hoc obſeruauimus, non-

d) *libr.* XXXVI. *hiſt. natur. cap.* 7. p. 644.

e) apud ORPHEVM, λιθικοῖς, *cap.* XVIIII. p. 351.

f) apud eumdem, *cap.* XX. p. 353.

g) vid. DIOSCORIDES *libr.* V. libri memorati, *cap.* 105.

h) id. *cap.* 125.

i) ib. *cap.* 141.

k) conf. PLINIVS *libr.* XXXVI. *hiſt. natural. cap.* 17. p. 671. et DIOSCORIDES *libr.* V. *cap.* 142.

l) apud PLINIVM *libr. mem. cap.* 19. p. 673. et DIOSCORIDEM, *libr.* V. *cap.* 143.

m) legatur DIOSCORIDES laudati libri *cap.* 145.

n) idem, ib. *cap.* 149.

o) apud eumdem *cap.* 150.

p) *cap.* 152. DIOSCORIDIS.

q) teſte PLINIO *libr.* XXXVI. *cap.* 19. p. 673.

r) ibid.

s) ibid.

t) ibid. p. 674.

nonnullos ad vulnera, inprimis ad vlcera ſananda, et contra morſus animalium venenatorum, alios ad ſiſtendum ſanguinem, alios ad leniendos ſectionis et vſtionis dolores, ceteros in curationibus oculorum, quae manu fiunt et quae ſcalpellum deſiderant, tum etiam, quae dentium cauſſa inſtituuntur, adhibitos fuiſſe. Sic de *Aſſio* lapide PLINIVS *u*) et DIOSCORIDES *x*) narrant, eum, cum melle mixtum, vetera vlcera ad cicatricem perducere, excreſcentia erodere, ſuppurata ſiccare; de *oſtracite* vero *y*), eum, contritum et cum melle illitum, dolores mammarum ſanare, vlcera implere et carnem alere. *Melitites*, contuſus et cerae miſtus propter faucium exulcerationes, PLINIO *z*) teſte, in chirurgorum remediis locum olim tenuit, *pumicem* vero, tum *phrygium* lapidem et *morochthum* iidem commendarunt, ſi vlcera ad cicatricem redigenda, aut excreſcentia cohibenda erant, vt ex DIOSCORIDE *a*) patet. *Aſſio*, *adamante*, aliisque lapidibus ſubueniri iis poſſe, creditum olim fuit, qui viperinis, aut alius animalis venenati, dentibus icti fuerant, id quod PLINIVS *b*) diſerte teſtatur.

u) *libr.* XXXVI. *cap.* 17. p. 671.


x) *libr.* V. *cap.* 142. p. 308.

y) PLINIVS *libr.* XXXVI. *cap.* 19. p. 673.

z) *loco* modo *memorato.*

a) *libr.* V. *cap.* 125. p. 302. *cap.* 141. p. 308. *cap.* 152. p. 311.

b) *libr.* XXXVI. *cap.* 17. p. 671.



ſtatur. Singularem ἀναισθησίας vim, quam *memphitae* veteres adiudicarunt, tum, quum ſecandum aut vrendum chirurgo eſſet, ſupra ex PLINIO *c*) cognouimus, qui et inſuper, ad ipſam vſtionem inſtituendam, *pilam* commendat *cryſtallinam*. Inprimis multos oculorum morbos lapidibus depelli poſſe, conſtans olim chirurgorum opinio fuiſſe videtur. *Magnetem*, *geodem* et *aethiopicum* lapidem idcirco laudat PLINIVS *d*), hunc, ait, ad multa medicamenta ὀφθαλμικὰ vtilem haberi, in illo eamdem ſalutarem ineſſe vim, iſtum vero admodum prodeſſe oculis, ſiſti enim eodem epiphoras, ſanarique aduſta, quum crematus inque puluerem redactus fuerit. *Pumex* et *pyrites*, DIOSCORIDE *e*) auctore, oculorum caliginem diſſipant aliisque eorum morbis medentur, lippitudinem vero *galactites* aufert, vt ex eodem ſcriptore *f*) diſcimus. *Gagates* lapis, vino coctus, in dentium olim medicamentis fuit, ſi fides habenda PLINIO *g*), *arabicum* vero lapidem ad illos frictione purgandos vtilem habitum fuiſſe, perhi-

bet

p.671. *libr.* XXXVII. *cap.* 4. p.712.

c) *libr.* XXXVI. *cap.* 7. p.644. coll. *libr.* XXXVII. *cap.* 2. p.702.

d) *libr.* XXXVI. *cap.* 16. p.670 *cap.* 19. p.673. *cap.* 22. p.679.

e) *libr.* V. *cap.* 125. p. 302. *cap.* 143. p.309.

f) *libr.* V. *cap.* 150. p. 311.

g) *libr.* XXXVI. *cap.* 19. p.674.

bet DIOSCORIDES *b*). Ac de his quidem lapidibus et, quibus isti nominibus hodie soleant insigniri, multa dici possent ac commemorari, quae breuitatis caussa intacta relinquimus. Vnicum tamen hic in praesenti quaerere liceat: cuius generis et indolis lapis ille fuerit, quem ORPHEVS *i*) κορυφώδην adpellat, eiusque vsu non solum fugari, ait, scorpios, sed etiam morsus eorum admodum feliciter sanari. Lapidem hunc etiam λίθον κορσιόεντα dicit, quum vero vtrumque vocabulum nuspiam alibi, nedum in iis scriptoribus, qui nullum facile lapidum genus praetermiserunt, legatur, coniectura, vt nobis quidem videtur, haud improbabili ducimur, vt pro κορυφώδης ΚΟΡΣΟΕΙΔΗΣ legendum et pro κορσιόεντα, participium verbi κορσοῦν, nempe κορσωθέντα, substituendum esse, statuamus. Corsoidem vero in lapidum numero olim fuisse, PLINIVS *k*) testis est, qui coniecturam nostram hoc ipso confirmat, quod lapidem hunc eodem fere modo, quo ORPHEVS *l*) suum κορυφώδην, describit. Ille enim senis capillo, siue canitiei hominis similem eum esse dicit, hic vero: τὸν μὲν ἐγὼ, inquit, κόρσῃ μάλ' ἐοικότα φημὶ βροτείῃ, *hunc quidem ego capillo humano admodum similem dico.* Vnde κορσωθέν-

b) *libr.* V. *cap.* 149. p. 310.

i) λιθικοῖς, *cap.* XIIII. p. 332.

k) *libr.* XXXVII. *cap.* 10. p. 743.

l) *cap.* XIIII. v. 4. p. 332.



σωθέν]α *crinitum* adpellat, quoniam ſine dubio, vti gemma *polia* apud PLINIVM *m*), lineas ſubtiliſſimas albas, capillo ſenis ſimiles, referebat. Quare ex achatum numero eum fuiſſe ſuſpicamur, cum quod id lapidum genus haud raro ſubtiliſſimos linearum ductus, quorum multi oculorum aciem paene effugiunt, imitatur, tum vero maxime propter alia achatum adfinia nomina, ducta vel a lineis, vel a maculis, quae vt in iis inſint, haud raro accidere ſolet. Qua in re hoc potiſſimum tenendum eſt, eos, qui lineis ſignati, a crinibus, qui maculis, ſi aliquam inprimis transmiſere lucem, ab oculis nomen accepiſſe. Vnde achates, *crinis Veneris* dictus, vnde alius *lycophthalmos*, et *Adadu oculus*, apud PLINIVM *n*), quorum ille a lupo, cuius oculo ſimilis erat, hic a Syrorum deo Adado, de quo apud HESYCHIVM *o*), nomen ſuum eſt nactus. Iam vero, quid iudicandum ſit de eiusmodi chirurgicis virtutibus, quos in his lapidibus ineſſe, veteres arbitrati ſunt, haud immerito quaeri poſſe, nobis videtur. Nemini facile hoc poteſt eſſe incognitum, etiam nunc reperiri haud vnum lapidum genus, in chirurgorum vſum rece-

m) *libr.* XXXVII. *cap.* 12. p. 755.

n) *libr.* XXXVII. *cap.* XIII. p. 753.

o) *lexic.* p. 21. coll. SALMASIO *exercitat. Plinianis*, p. 248.

receptum et ciuitate quasi donatum: haematite, ne exempla desint, in manu detento, inhiberi narium sanguinis fluuium, osteocollam commendari ad ossa fracta firmanda, schistum ad tunicas praeternaturales, in oculorum tunica cornea auferendas, tophum thermarum et lapidem spongiae ad efficiendum puluerem, quo dentes fricantur, magnetem, quod haud ita pridem patuit, ad dentium dolores sedandos. Neque et hoc negari potest, inesse et inesse posse virtutes in aliis lapidibus, hodie vel ideo parum vsitatis, quod in eorum locum vsus et experientia chirurgorum recentiorum alia medicamenta substituit, illis longe faciliora et praestantiora. Hoc tamen simul certissimum est, prisci aeui et ignorantiam et fraudem maximam supra dictorum lapidum partem in chirurgorum disciplinam traduxisse. Quum enim veteres vim salutarem eiusque rationem raro in ipsis partibus, quae lapidis genus efficiunt, sed plerumque in rebus, quae lapidi tantummodo accidunt, quaesiuerunt, magnum sane hoc eorum inscitiae documentum esse videtur. Quod vero remediis per se optimis, sed vilissimis pretium conciliare studuerunt accessu lapidum non vbiuis obuiorum et quibus medicamentum ipsum non efficacius, sed carius reddebatur, quid hoc est aliud, quam

quam aegrotis fucum facere, resque viliores ad fraudem et illegitimum traducere quaeſtum? Exemplo ſit allium, quod contuſum aduerſus morſus venenatos vim admodum ſalutarem praebuiſſe, teſtatur DIOSCORIDES *p*). Quod quum vbique haberi et ad vulnus adplicari ſine impenſis poſſet, teſte ORPHEO *q*), non defuere, qui id cum puluere lapidis illius chirurgici, quem in ORPHEI exemplaribus κοϱυφώδην, rectius corſoidem nuncupari, diximus, miſcendum eſſe, contenderent. Quamquam et hoc negare nolumus, chirurgos veteres ad aegrotorum peruerſa ſaepe ingenia ſeſe adcommodare debuiſſe, eamque ob cauſſam vilioribus medicamentis compoſitionis arte maiorem fidem conciliare ſtuduiſſe.

p) *libr.* VIII. *cap.* 7. p. 350.

q) λιθικοῖς, *cap.* XIIII. v. 2. p. 332.


VII.

VII.

DE PYRRHONISMO MEDICORVM VETERVM

MEDICORVM antiquiſſimos, eos maxime, qui in Aegypto olim fuere, vſus potiſſimum erudiuit, experientia confirmauit. Horum quisque ſtudioſe colligebat litterisque conſignabat, quibus aegrotus vſus fuerat remediis, quae medicina imbecillior, quae fortior fuerat morbo, tum qua ratione quisque in priſtinam ſanitatem fuerat reſtitutus, vt, ſi in aliis aegrotantibus idem ſe ipſis offerret morbus, paratum ſtatim et optimum haberent aduerſus eumdem auxilium *a*). Haec fuit in Aegypto medicinae ratio, quæ vnice fere in longo rerum vſu multaque experientia ſita fuit et collocata. Poſtea vero, quum litterae ex Aegypto in Graeciam migrarent, et ſapientiae ſtudia ſedem ibi figerent, non defuere ex illius aetatis medicis, qui de morbis quoque philoſopharentur et, quae maiores vſu atque experientia didicerant, ad principia et cauſſas primas reuocare ipſaque veterum de morbis praecepta ad artis et diſciplinae formam traducere ſtuderent. In quibus multi olim clariſſimi nominis viri, qui, quum eam ad rem rite perficiendam philoſophiae ſtudiis tuto ſe carere haud poſſe, exiſti-

a) conf. BARCHHVSENIVS *de medicinae origine et progreſſu diſſ.* I.



existimarent, in philosophorum quoque disciplinam tradere se et artem medendi cum horum placitis coniungere coeperunt. Permultae vero tum in Graecia fuere philosophorum sectae, familiae et disciplinae, aliis aliam philosophandi rationem ineuntibus, vnde aliter fere fieri vix potuit, quam vt et medici modo ad huius, modo ad alius doctoris partes rapi se paterentur. In quibus haud pauci fuerunt, qui non omnes philosophantium sectas medicinae studiis aeque adcommodatas esse, sibi persuaderent, sed aliam alii ea in re praeferrent hancque reliquorum optimam et ab artis salutaris cultoribus adpetendam esse crederent, quae medico securam aperiret viam ad veram et haud fucatam rerum cognitionem, ad tutissimam valetudinis humanae curationem et ad salutarem medicarum disciplinarum vsum. Quod quidem eadem fere ratione factum nobis videtur, qua postea Romae iurisconsultis stoica potissimum philosophia, tum platonica christianis doctoribus commendari solebat, vtpote horum studiis et placitis magis congruens atque conueniens, quam reliquae philosophorum sectae. Eadem fere olim, medicorum ratione habita, in Graecia persuasio fuisse videtur. Vnde, nisi nos omnes rationes fallunt, factum, vt permulti crederent, vt quisque medicus in

sua

ſua arte optimus et praeſtantiſſimus eſſe et videri cuperet, ita maxime ipſi pyrrhoniam philoſophiam eſſe excolendam, philoſophiam, quae experientiam et ſenſuum iudicia poſtularet, non ſola ratiocinia, quibus medicus decipi ſaepe inſigniter poſſit. Quare non mirum hoc nobis debet videri, ſi in medicorum graecorum numero pyrrhoniae ſectae amatores et ſtrenuos defenſores animaduertamus, inque his, ne exempla deſint, XEVXIN, de quo DIOGENES LAERTIVS *b*) memoriae prodidit, eum pyrrhonium philoſophum fuiſſe, et ad magiſtri ſui exemplum non niſi τὰ φαινόμενα, id eſt, quae ſenſibus perciperentur, quae experimentis, non meris ratiociniis niterentur, admittere voluiſſe. Ac hic quidem Xeuxis, vt omnes rationes ſuadere videntur, vix poteſt eſſe alius, niſi medicus ille huius nominis, qui in medendi arte Herophilum potiſſimum, medicorum hippocraticorum facile principem, ſectatus eſt, virum egregium, qui omnem fere ſuam artis ſcientiam experiundo ſibi comparaſſe, profeſſus eſt, medicis ſine experientia philoſophantibus, qui nil niſi fallaces concluſiunculas nectere didicerant, infenſiſſimum. Ac id quidem nullam fere aliam ob

b) *vit. philoſ. libr.* IX. *ſegm.* 106. p. 598. ed. MEIBOMII.

ob caussam, quam quod diuturna rerum naturalium et earum, quae corporibus humanis accidunt, obseruatione certissime coguouerat, saepe haud tuto confidendum esse principiis illis, quae eius aetatis philosophi pariter ac medici sibi finxerant, et ex quibus omniá deducere ac demonstrare se posse, aliis persuadere volebant. Qua ex re permagnam sibi conciliauit famam, inprimis quod philosophorum in rebus medicis ratiocinia saepe admodum fallentia esse, egregiis experimentis demonstrare poterat. Quo et factum est, vt perpetuis suis, quas instituere solebat, obseruationibus multas medicorum de corporis humani partibus sententias emendaret, cerebri exempli caussa et neruorum doctrinam perficeret *c*), vasa lactea primus animaduerteret *d*), venarum ictus et percussus rationem *e*), modum

c) Herophilus enim videtur auctor esse illius distinctionis, quam apud RVFVM EPHESIVM *de adpellat.corp.hum.part.libr.*I. *cap.* 22. et 35. deprehendimus, et pro qua nerui alii sensorii dicuntur motuique voluntario seruientes, alii copulatiui, qui circa artus sunt, tum tendines, ex musculorum finibus prodeuntes.

d) conf. GALENVS *de vsu partium libr.* IIII. ad finem.

e) videatur PLINIVS *libr.* XI. *cap.* 88. Anatomiae vero adeo operam dedisse Herophilus fertur, vt homines sexcentos viuos naturae cognoscendae gratia

dum porro respirationis *f*) et multa alia ostenderet, quae adhuc medici omni sua in demonstrando subtilitate excutere, aut ex tantis ratiociniorum dumetis ac vepribus indagare ac reperire haud poterant. Quae quidem nos omnia eam potissimum ob caussam hic memoranda esse duximus, vt, quare Xeuxis et alii, qui ex Hippocratis et Herophili schola prodierunt, medici pyrrhoniam philosophandi rationem sectati sint, ex infra dicendis tanto luculentius pateat.

XEVXI adiungimus TIMONEM PHLIASIVM medicum, cuius vitam DIOGENES LAERTIVS *g*) descripsit. Is itidem Pyrrhonem in philosophia ducem sibi elegit, tresque sillorum libros reliquit *ἐν οἷς*, vt LAERTIVS ait, *ὡς ἂν Σκεπτικὸς ὢν, πάντας λοιδορεῖ καὶ σιλλαίνει τοὺς δογματικοὺς ἐν παρῳδίας εἴδει*, *in quibus, vtpote scepticus, in omnes dogmaticos, versus poetarum veterum imitando, maledicta atque conuitia ingerit*, in dogmaticos nempe, id est, eos medicos, qui artis medendi dogmata non nisi ratiociniis niti, abditos caussarum recessus philosophando perscrutari neque naturam ipsam vsu atque experientia exploK 2

tia dissecaret, facinorosos nempe et a regibus e carcere dimissos.

f) conf. SCHVLZIVS *hist. medicinae* p. 390.

g) *libr.* IX. *segm.* 109.



plorare volebant. Poſt Timonem MENODOTVS *Nicomedienſis* fuit, arte ſua, quam profitebatur, medicus, philoſophia, quam ad ſtudia ſua adhibuit, pyrrhonius, vnde eum LAERTIVS *b*) noſter ἰατρὸν ἐμπειρικὸν vocauit, quod is, haud ſecus ac omnes medici pyrrhonii, omnem medicinam, quae non niſi philoſophica et ſine vſu atque experimentis erat, in fallacium fucoſarumque mercium loco numeroque habebat. Tacemus de aliis eius generis medicis, nominatim de SEXTO SATVRNINO, deque SEXTO EMPIRICO, de quo inprimis multa ad noſtram rem, quam diſputamus, forent dicenda, niſi ad alia iam properandum nobis eſſet. Quis enim huius medici in Pyrrhonis philoſophiam ignorat ſumma merita, et quam egregie is vndecim illis aduerſus mathematicos libris oſtenderit, quam caute, quam prouide agere debeat verus philoſophus, ne falſis opinionibus irretitus et occupatus, naturae contemplationem, vſum rerum et experientiam omittendo, decipi ſe patiatur?

IAM vero, quae potiſſimum res philoſophiam pyrrhoniam medicis veterum graecorum commendauerit, non ſine cauſſa quaerere quiſpiam poſſet. Quid nobis ea de re videatur, paucis dicemus.


Pyrrho

b) *libr.* IX. *ſegm.* 116.

Pyrrho non idcirco hoc verum ac certum esse putauit, quod eius aetatis philosophi ratiociniis deducere atque demonstrare se posse, adfirmarunt, quin potius in ea fuit sententia, rerum naturae caussas adeo saepe tectas et abditas esse, vt vix ac ne vix quidem, quid verum sit, quidue minus, homo rite possit explorare. Vt ne igitur falsis opinionibus, sophismatibus idque genus aliis conclusiunculis decipiamur, tutissimum eam ad rem praesidium dubitationem esse credidit, quumque omnis vera philosophia veritatis indagationem sibi propositam habeat, haec vero propter virium intelligendi imbecillitatem et propter tot sensuum fallacias difficillime inuestigari possit, decere philosophum, de quibusuis rebus dubitanter pronunciare, nec quidquam pro vero habere, donec clarissima et euidentissima adsint documenta, quibus tuto inniti liceat, si, quid verum sit, quid falsum, a nobis debeat diiudicari *i*). Haec Pyrrhonis sententia fuit, ad quam cur delati etiam nonnulli medici fuerint, si dicendum sit, vt paulo altius rem repetamus, necesse esse videtur. Prima artis medicae initia non

 nisi

i) conf. DIOG. LAERTIVS in vita Pyrrhonis, quae est *libr.* IX. de *vit. philos. segm.* 61, seq. p. 580. tum SEXTVS EMPIRICVS libris suis *institutionum Pyrrhonianarum.*



nisi in vsu et experientia quaerenda esse, negare posse arbitramur neminem. Postea vero, iam ante Hippocratis tempora, accessere ad hanc artem philosophi, quumque hi omnem medendi artem certis principiis concludi posse, existimarent, ex quibus omnes morborum caussae deduci, omnia morborum φαινόμενα explicari et cuncta, quae morbo laborantibus accidant, deriuari possent, factum est, vt, posthabito omni fere operoso experientiae propriae labore, ars ista salutaris nouam plane indueret faciem, et medici, qui his rebus delectabantur, magis de morbis philosophari, quam eorumdem naturam rite vsu explorare viderentur *k*). Quae quidem omnia non sine damno verae illius cognitionis, quae a medico requiritur, fieri, quum alii satis tempestiue viderent, cognoscerentque simul, admodum periculosum esse, se suamque sanitatem eiusmodi medicis philosophantibus committere; surrexit HIPPOCRATES, atque vt CELSVS *l*) ait, primus ex omnibus memoria dignis ab studio sapientiae disciplinam medicorum separauit, id est, suo exemplo, tum voce ac scriptis docuit, non

k) conf. AVCTTR libri *de veteri medicina*, qui HIPPOCRATI tribuitur,

l) *praef. libri I. de medicina* p. 3. edit. CRAVSII.

non eum eſſe bonum medicum, qui medendi artem non niſi ex philoſophiae fontibus ac riuulis haurire vellet, ſed illum veri medici dignitatem atque honorem defendere ac tueri, qui cum veterum medicorum vſu, experientia, placitis ac praeceptis propriam ἐμπειρίαν arctiſſimo vinculo coniungat, inque hac verum omnis medicinae quaerat praeſidium ac fundamentum. Itaque Hippocrates, medicorum diſciplinam a philoſophiae ſtudiis ſeparando, neutiquam haec plane excludi et a medico ieiungi voluit, ſed in ea tantum, eaque, vt nobis videtur, rectiſſima ſententia fuit, a philoſopho non poſſe formari medicum, ſed illum ibi incipere, vbi hic deſinat: per experientiam viſorum et repertorum veras morborum cauſſas quaerendas eſſe: rerum naturae intimam cognitionem fundamenti quaſi loco adeſſe debere in medico: his duobus praeſidiis, non ſophiſtica demonſtrandi ſubtilitate aut aliis eiusmodi nugis atque ineptiis, armatum atque inſtructum eſſe debere, qui decumbentibus opem ferre, morbos propulſare corporaque in priſtinam ſanitatem reſtituere velit *m*).

m) Legantur GEORG. AVG. LANGGVTHIVS de *Hippocrate medicinam a ſtudio ſapientiae non omnino ſeparante*, Vitemberg. CIↃIↃCCXXXXIIII. 4. FRID.

POST Hippocratem HEROPHILVS floruit, medicus, qui nihil intactum reliquit, et cuius in rebus experientia cognoſcendis ardor nunquam fere potuit expleri ac ſatiari *n*). Huius temporibus medici, qui διαιτητικὴν excoluerunt, in rationales et empiricos diuidi coepere, quorum illi de morbis magis philoſophari, quam aegris rite ſubuenire didicerant, hi vero, empirici nempe, rerum, quae in ſenſus cadunt ſollerti indagatione, herbarum diuerſiſſimas in corpore humano vires, earum pro morbi pariter ac ipſius corporis affecti diſcrimine ſalutarem vſum, ipſius corporis humani naturam et fabricam ex cadauerum ſectione, ex hac demum morborum cauſſas et omnem iis medendi rationem perdiſcere ſtuduerunt *o*). Ac

FRID. GOTTL. IACOBI *ſpecimine philoſophiae Hippocraticae*, Lipſ. CIↃIↃCC XXXVII. 4. et GEORGIVS MATTHIAE *tractatu de philoſophia medici*, *prolegom.* §. XI. p. 29.

n) HEROPHILI vitam eiusque in rem medicam, inprimis anatomiam, merita egregie expoſuit CLERICVS *hiſt. de la medicine part.* II. p. 27. ſq.

o) conf. BARCHHVSENIVS *de medicinae orig. et progreſſu, diſſ.* X. p. 135. et SCHVLZIVS *hiſt. medicinae* p. 404. cel. GEORG. GOTTL. RICHTERVS *progr. de veterum empiricorum ingenuitate*, Götting. CIↃIↃCCXLI. LAVRENTIVS HEISTERVS *diſſ. de medic. ſectae empiricae veteris atque hodiernae diuerſitate*, Helmſtad. CIↃIↃCCXLI.

Ac horum quidem medicorum empiricorum dux ea aetate et antesignanus quasi HEROPHILVS noster fuit, qui quum suis experimentis ostenderet, quam parum firmamenti saepe sit in rationalium illius temporis medicorum conclusiunculis, et quam falsa eorum ratiocinia, hoc profecto sua aetate effecit, vt rationalium sectae perparum fidei tribueretur, eam ipsam ob caussam, quod, vt CELSI *p*) verbis vtamur, luculentissimis documentis HEROPHILVS declarabat, *sapientiae studiosos maximos medicos esse, si ratiocinatio hos faceret, nunc illis verba superesse, deesse medendi scientiam q*). Verum, quod in rebus humanis quam saepissime vsu venire solet, id etiam tunc factum esse videtur, vt iustum modum et mensuram in definiendis philosophiae et artis medicae limitibus ac terminis obseruarent paucissimi, atque in eo, quod aut nimium est, aut parum, peccare viderentur. Quum enim ante Hippocratis et Herophili tempora a plurimis medicinae cultoribus non nisi philosophia exculta, vsus vero et experientia neglecta iacuit, iam contraria ex parte ab Herophili discipulis *r*) omnis philosophia ex medico-

 dico-

p) *praef. libr.* I. *de medicina*, p. 8.

q) Legatur cel. ZIMMERMANNVS *libro I. von der Erfahrung cap.* 3. p. 49.

r) quales hi fuerint, fuse docet

dicorum campo profcribi atque exterminari coepit, adeo, vt ne rationalem quidem διαιτητικὴν admitterent, fed tanquam inutilem fpernerent ac repudiarent. Qua quidem in re parum recte neque fatis prudenter egiffe nobis videntur Herophili sectatores, quod omnem philofophiae in medicorum difciplinis vtilitatem negarunt, neque hoc refpexerunt, alium effe verum philofophum, alium plebeium, qui non nifi minutias confectetur, fobriumque philofophiae vfum ab eiusdem abufu in medicina probe effe fecernendum, neminem quidem ex philofophorum fcholis medicum poffe fieri, fed quum factus fit, iisdem eatenus infigniter adiuuari poffe, quatenus non folum ea, quae vfus et experientia docuit, ad iuftam et legitimam difciplinae formam redigere philofophia doceat, fed etiam nos inftruat, quid in obferuatione rerum naturalium certum, quid incertum, quid verum, quid dubium adhuc fit, et qua demum ratione Φαινόμενα ad veram inueftigandae veritatis rationem redigantur *s*). Quae quidem omnia ipfe GALE-

docet CLERICVS *hift. de la Medicine part.* II. p. 35.

s) Legi inprimis hic meretur iudicium, quod medicus quidam anonymus de his empiricorum et rationalium medicorum controuerfiis tulit, infertum CLERICI *hiftoriae medicinae*, *part.* II, *cap.* 6. p. 65.

GALENVS suo exemplo perquam egregie confirmat, cuius verba digna sunt, quae hic legantur *t*). Vt ea, quae vsu atque experientia didicisset, etiam artificiose demonstrare posset, stoicorum et peripateticorum philosophorum scholas diligenter se frequentasse, ait, didicisse logicorum theorematum multa, sed postea, iis, quae didicerit, rite excussis, *inutilia se haec ad apodixes*, ad demonstrationes medicas, inuenisse. Vidisse, *in his omnibus logicorum eius temporis quaestiunculis paucissima esse, quae vtilitatem aliquam adferre medico possint.* Reperisse se multa, ab his philosophis agitata, disputata, demonstrata, quae *naturali rationi*, experientiae nimirum, plane fuissent contraria. Parum igitur abfuisse, quin ad pyrrhoniorum sectam se contulisset, et horum more de omnibus rebus dubitare coepisset, nisi a patre et auo sanum et sobrium philosophandi genus adhuc iuuenis didicisset, atque cognouisset, talem philosophiam, qualis olim floruerit, medico et praesidio esse et summo ornamento. Quam caute, quam prudenter summus hic medicus philosophiae verae in medicina vsum ab eiusdem abusu secernit, quam sapienter medicorum philosophantium

t) *libro de libris propriis*, p. 46. edit. Froben. CIƆIƆXXXXII. fol.

tium demonſtrandi libidinem ipſarumque demonſtrationum futilitatem a vera medica *ἀποδείξει*, ad quam ſana philoſophia nos ducit, diſtinguit, ſecus ac illi medici, qui omnem *rationalem* in medicina diſciplinam reiicere atque ex medicae artis finibus exterminare voluerunt, et cuius generis Philinum Coum fuiſſe, GALENVS *u*) ipſe docet. *Empiricae*, inquit, praeſuit *Philinus Cous*, *qui primus medicinam a rationali diſciplina abſcidit*, *occaſione ab Herophilo ſuo praeceptore accepta*. De Serapione vero idem fere adfirmat CELSVS *x*), eum primum omnium, nihil hanc rationalem diſciplinam pertinere ad medicinam, profeſſum, in vſu et experimentis eam tantummodo poſuiſſe.

u) *iſagoge*, *haud procul ab init*. p. 186. operum.

x) *praef. libr*. I. *de medicina*.



VIII.

VIII.

DE MORBIS VETERVM OBSCVRIS



VIDEMVS, a nonnullis hanc quaestionem in medium adlatam esse, vtrum prisca aetate eadem, quae nostra aetate, morborum omnium fuerit ratio, an quibusdam forte obnoxii fuerint mortales, quos nondum adhuc obseruauerit recentioris et huius inprimis seculi medicorum sollertia. Cuius quidem quaestionis excutiendae occasionem dare videtur ARETAEVS medicus, signorum, vnde morbi genus constat, iudex olim sagacissimus. Quum enim is ad aegrotantium lectos haud pauca vidit visaque litteris consignauit, quibus eius aetate morbus ipse sese manifestauerit, quum ex collectis et comparatis inter se signis ipsum morbi genus definire ac describere studuit, solent nonnulli, quum eiusmodi signa non amplius sese prodant, ex hoc ipso efficere, Aretaeum aut parum adcurate morborum signa obseruasse, aut fuisse olim vnum alterumue morbi genus, quod hodie non amplius excruciare genus humanum soleat. A negligentiae suspicione liberat Aretaeum summum illud et paene incredibile obseruandi studium, quod vbique ex eius de caussis et signis morborum libris elucet. Quare necesse est, vt de eo videamus, vtrum re

ipsa



ipſa ARETAEVS ſigna morborum ſuppeditauerit, ex quibus, quod hodie non ſunt, inſolens et noſtro aeuo inuſitatum morbi genus olim exſtitiſſe, efficere liceat. Ac id quidem non plane negari poſſe videtur. Ad hunc enim cenſum referri a nonnullis ſcimus, quae ARETAEVS περὶ τῆς κατὰ κοίλην φλέβα ὀξείης νούσου, *de venae cauae acuto morbo* a) obſeruauit. Sedem morbi primum definire ſtudet eamque in vniuerſa vena, quoquo ſe vergat, quaerendam eſſe autumat, aliis tamen, vt ipſe addit, contradicentibus, qui eam tantum venae partem, quae ad dorſum protendatur, morbo hoc excruciari contendant. In hac nempe vena κέδματα oriri, ait, ſanguinem erumpere copioſe et largiter ſeque diffundere modo per pulmones, modo in imum ventrem deduci, quae ſi fiant, aegroto mortem quam citiſſime contrahi. Aegrotum, pergit, intus ſummo ardore, ignem acrem et mordacem, πῦρ δριμὺ, δακνῶδες dicit, torqueri et confici, tanto impetu, vt comburi ſe credat, extus membra modico tepore calere, extrema frigere. Adiungit alia ſigna, ſitim ardentiſſimam, os ſiccum, corpus ſubrubidum, in dextra praecipue parte palpitationem ad ilia vsque procedentem, cutem rugoſam et aſperam, ſegni-

a) *de cauſſis et ſignis morborum acutorum libr.* II. *cap.* 8. p. 20. ed. BOERHAAVII.

ſegnitiem, torporem, tabem, quae corpus conficiat et quae eius generis ſunt alia. Eſſe vero, ait, id morbi genus ſic comparatum, vt, qui iſto laborantem videat, ardente febri correptum eum credat, autumni praeſertim tempore magis, quam alio, hunc morbum homines inuadere, iuuenilem aetatem, perinde ac virilem, ei eſſe obnoxiam, quibus ſatis virium ſit, vt confligtari aliquatenus cum peſtifero hoc morbo queant, hos decimo quarto die plerumque ſuccumbere, alios duplo temporis ſpatio, vigeſimo octauo nempe die, enecari. Haec eſt ARETAEI de ſingulari morbi genere narratio, quod vtrum ad putridarum an cum inflammatione coniunctarum, an ad aliud febrium genus referendum ſit, in praeſenti excutere nolumus. Hoc tamen extra omnem dubitationem poſitum eſſe videtur, ipſam venae cauae labem eo modo, quo medicus noſter eam depinxit, et ſic quidem, prout eiusdem ſigna retulit et monſtrauit, et quatenus ipſam morbi ſedem in vena caua poſuit, hodie, ſi magni nominis medicis fides habenda, aeque minus reperiri, quam aliam, ab HIPPOCRATE *b*) propoſitam, quae olim *νοῦσος μεγάλη τῶν φλεβῶν τῶν κοίλων* fuit nuncupata. Sed mittamus vtrumque venae vitium, quod HIPPOCRATES et ARETAEVS homines inuaſiſſe, quisque ſua aetate, memoriae prodiderunt. Adferemus potius

b) *libr. de int. off.* XVIIII.

potius in medium aliud morbi genus, aſthma quoddam, πνευμῶδες olim vocatum, de quo noſtrae aetatis medicorum haud pauci idem ſolent adfirmare, pertinere nempe hunc morbum ad antiquatas, ſi ita loqui fas eſt, humanae naturae leges, ad corporis vitia, quibus non niſi maiores noſtri fuerint vexati. Ac iſtud quidem πνευμῶδες, τοῦ ἄσθματος genus eſſe, ARETAEVS *c*) adfirmat, ſedem eius in pulmone eſſe, qui hoc morbo corripiatur, annuum viuendi ſpatium vix conficere poſſe, ſi autumno inceperit, verno, aut ad ſummum aeſtiuo proximi anni tempore: ſi hyeme, autumno inſequenti mortem inſtare certiſſimam. Neque ſenilem aetatem immunem eſſe voluiſſe naturam. Addit medicus noſter triſtia huius morbi ſigna, in quibus aegrotorum ſpirationem operoſam et perquam difficilem ponit, tum arteriarum motus, exiguos quidem, ſed infirmos et frequentes, eamdem eſſe anhelitus rationem, moleſtum aſt irritum tuſſis laborem, quae nihil extrudat, ſi forte caſu quid elidatur, eſſe globulos albos, qui grandinis magnitudinem haud excedant, vlcera pulmonis nulla, ſatis tamen humorum concretorum. Celeriter ſaepius ſuffocari, quos hic morbus inuadat, prius, quam hoc malum ſeſe per totum corpus diffuderit. Vtrum forte hoc ſingulare aſthmatis genus, cuius deſcriptionem ARETAEVS nobis

c) *libr.* 1. *de cauſſis et ſignis diuturnorum morborum. cap.* 12. p. 41.

nobis dedit, vitium illud pulmonis sit, quod tuberculum crudum vulgo solet appellari, an asthma flatulentum, videant alii, nos in praesenti aliud morbi genus adiungemus, cuius signa, ab ARETAEO *d*) data, eam ob caussam dubios ancipitesque reddiderunt artis salutaris peritos, quod cardialgiae et syncopes alia prorsus indicia sunt, quam quae in hoc morbo ARETAEVS se obseruasse, scribit. In caussis morbi praecipuis numerari vult non solum *πύον συχνὸν ἀπὸ κοιλίης διὰ στομάχου χυθὲν*, *pus multum a ventre per stomachum effusum*, sed etiam, quod vix quispiam crediderit, rerum diuinarum meditationem, cum victus parsimonia, vigiliis durioreque viuendi ratione coniunctam. Quod hominum genus ARETAEVS, quum haec scriberet, in mente habuerit, vtrum nonnullos suae aetatis philosophos, an, vt PETITVS *e*) statuit, alios, quibus vel maritima itinera, aut bellicae calamitates durius vitae et victus genus imposuerunt, non satis liquet. Nisi tamen omnes nos fallunt rationes, de iis ARETAEVS loqui videtur, qui olim inter graecos pariter ac romanos religionis caussa et quod singulari cuiusdam numinis cultui, tum vero simul seuerioris vitae legibus se adstrinxerant, durissimam viuen-

d) *libr.* II. *de caussis et signis morborum diurnorum cap.* 6. *p.* 56.

e) *not. ad Aretaeum*, p. 203.

viuendi rationem ſequi ac victu viliſſimo vti ſolebant, qua de re multa apud PORPHYRIVM aliosque. Quo et referenda ducimus, quae SPARTIANVS *f*) de Didio Iuliano habet: *Saepe*, NVLLA EXISTENTE RELIGIONE, *oleribus leguminibusque contentus, ſine carne coenauit*, ex quibus perquam manifeſte patet, fuiſſe olim τὴν τῶν ἐμψύχων ἀποχὴν iis haud inuſitatum, qui numini cuidam ſe apud romanos aliasque, verorum ſacrorum expertes, gentes, deuouerent. Atque ad hanc ſuperſtitioſam romanorum conſuetudinem reſpicere videntur, quae ſeruatoris legatus *g*) ad romanos olim ſcripſit: ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει. Quibus verbis Paullus, romanos ad priſtinam concordiam reducturus, argumentum admodum graue ab ipſo hoc veterum romanorum ritu petit. Haec enim, niſi nos omnia fallunt, verbis illis voluit ſignificare, quum romani, ad Chriſtianorum ſacra traducti, in priſtina olim ſua religione eos, quibus omnium ἐμψύχων ἀποχὴ placuerit, patienter tulerint; tanto aequius profecto eſſe, vt idem faciant erga eos, qui non niſi a carnium, legibus Moſaicis vetitarum, vſu abſtineant. Ac ad tale quidem religioſorum hominum genus verba illa ARETAEI, quae ſupra recitauimus, reſpicere videntur.

SED,

f) eius *vita, cap.* III. p. 576. *ſcript. hiſt. aug.*

g) PAVLLI *epiſt. ad rom. cap.* XIIII. 2.

SED, vt redeamus, vnde digressi sumus, ARETAEVS non solus est, qui morbos eiusmodi singulares, aut certe signa morborum, nostra aetate non obuia, litteris consignauit. Idem fere de CAELIO AVRELIANO dicendum esse videtur, ex quo vnicum tantum eius rei exemplum, ne iusto longiores simus, in medium adferemus. Qui recentiorum medicorum de catalepsi obseruationes legerit, easque cum iis, quae CAELIVS noster de hoc morbo notauit *b*), rite contulerit, dubius profecto relinquitur, aliudne catalepseos genus olim exstiterit, hodie exoletum, an alia viderit medicus, quam quae hodie ad aegrotantium lectos visuntur. Exemplo sint, quae AVRELIANVS de tempore, de modo, de signis deque vniuersa ratione huius morbi posterorum memoriae prodidit. Autumni tempore refert morbum hunc longe, quam alio, esse frequentiorem, puerilem inprimis aetatem isto adfici, tum mulieres, praeter has maxime, qui victu et potu intemperantius viuant, qui porro febri laborauerint, hos saepius in istum morbum incidere, latere quodammodo in ipsa febri semina, vnde morbus iste gignatur et procreetur. Aeque singularia eiusdem morbi signa suppeditat medicus noster. Corpus iacet supinum, collum distentum, ser-

b) *libr.* II. *de morbis acutis cap.* 10. p. 100. seq. ed. AMMANI.



ſermo parum explanatis vocibus praeruptus, multus genarum rubor, ſenſus languidi et torpentes, palpebrae diſtantes, oculi immobiles, ad lumen intenti ac defixi, frequentes gemitus et lacrimae. Quum vitae finis inſtat, moribundi vultus ad riſum eſt compoſitus, membra ardent et ſudant, emergunt maculae rotundae diſcolores, vt de aliis mortis ſignis, huic morbo, vt CAELIVS refert, propriis, taceamus.

MEDICORVM erit, quum haec et alia in veterum libris legerint, ſollicite horum morborum naturam perueſtigare atque hoc inprimis excutere, vtrum reuera morbi olim exſtiterint, quorum vim noſtra aetas nunquam adhuc ſit experta, an in ſignorum notatione, eorum nempe, quae vera, quae fallacia ſint, diſcrimine aliquid irrepſerit vitii. Pertinet id ad medicorum campum, quorum haud pauci in contrariam quoque partem noſtris temporibus noua imbecillitatis humanae ſpecimina reperiſſe viſi ſibi ſunt, quae in priſci aeui hominibus natura humana aut edere noluit, aut quae, ſi edidit, veterum medicorum effugerunt ſollertiam et obſeruandi ſtudium.



VIIII.

VIIII.

DE VENAE CAVAE ACVTO MORBO APVD ARETAEVM

DESCRIBIT ARETAEVS *a*) acutum venae cauae morbum, et ſic quidem, id quod verborum συνάφεια et omnes rationes oſtendunt, vt non de duobus diuerſis venae cauae morbis, ſed de vnico tantum ſermonem eſſe, luculenter adpareat. Ac hunc quidem morbum hodie ſic, vt ARETAEVS eum deſcribit, hoc eſt, cum iisdem, quae ille obſeruauit, ſignis coniunctum, reperiri, ſunt, qui negant, repugnant alii, qui eum *in venae cauae ruptura*, quod vocabulum tamen in latina linguà nullum eſt, inueniſſe ſibi videntur. Quod quidem argumentum, a venae cauae fisſura ductum, ſummi MORGAGNII *b*) auctoritate facillime poſſet conuelli, ſi in hac controuerſia noſtram ſententiam magni huius anatomici auctoritate firmare, neque argumentis, ab ipſa morbi natura petitis, decertare, nobis animus eſſet. Quanquam enim doctiſſimus vir tot corpora diſſecuit, tantoque ſtudio totius corporis humani fabricam quam ſollertiſſime et ſcrutatus, tantum tamen abeſt, vt, viſa vena caua ſciſſa, omnem in ARETAEI verbis difficultatem tolli poſſe, crederet, vt

 dubi-

a) *libr.* II. *de cauſſis et ſignis morborum acutorum cap.* VIII.

b) *de ſedibus et cauſſis morborum per anatomen indagatis, epiſt.* XXVI.

dubitanter ea de re pronuntiandum sibi esse, arbitraretur, id quod verba eiusdem: *num vero hunc, an alium potius huius venae morbum indicauerit Aretaeus — quaerere praetermitto*, satis superque declarant. Qui hoc potuisset scribere MORGAGNIVS, si ille morbus Aretaei tam manifestus, tam expeditus et nostra aetate sic excussus esset, vt tota res nulla amplius egeret dubitatione? Sed mittamus haec et in id potius, vtrum morbus iste scissura venae cauae sit, an vero minus, inquiramus. Qui morbum hunc nil aliud nisi disruptam venam cauam esse, sibi persuadent, necessitatem sibi impositam vident, ex hac fissione tanquam ex caussa et fonte, omnia mala, quae Aretaeus in morbo suo iunctim adesse, scribit, singulatim deducendi, ac deriuandi, sin vero nequeunt, hoc saltem nobis largiri debent, tristiorum horum effectuum non vnam, sed plures caussas subesse, quae itidem, tanquam tot singulares effectus, in primaria aliqua caussa fundamentum suum habeant. Si prius elegerint; sat grauibus argumentis, quae demonstrandi vim habeant, suam caussam vix ac ne vix quidem defendere ac tueri poterunt, sin vero posterius, ne hac in pugna plane succumbant, non sine iusta caussa veremur. Digna profecto ea res est, quae ex vtra-

que

que parte et debita ἀκριβέια excutiatur. Esto, velle quempiam acutum venae cauae morbum in eiusdem fissura ponere, nonne is simul, cum vsu et exemplis, tum argumentis, a natura scissae huius venae petitis, ostendat, necesse est, disruptam istam venam efficere in corpore intus summum ardorem, siue, vt Aretaeus ait, ignem acrem et mordacem, extus extremas corporis partes frigere. Demonstret nobis porro, qui fieri possit, vt propter hanc venae corruptionem cutis euadat rugosa et aspera. Regesserit forte aliquis, horum Φαινομένων caussam non in ipsa fissura venae cauae, sed in eius inflammatione, quae illam antecesserit, quaerendam esse. Recte quidem, verum iam nobis etiam dicat, cur autumni tempore magis, quam alio, vena caua in hominibus rumpatur, ac denique, quod caput rei est, quo pacto miseri illi, quibus vena caua dissoluta fuerit, alii decem et quatuor, alii viginti et octo dies vitam ducere ac protrahere queant. Cuncta enim haec in aegrotis suis, qui acuto venae cauae morbo laborauerint, vidisse et obseruasse se, ARETAEVS disertis verbis pronuntiat. Quid vero? si haec omnia aliaque multa mala, quae in aegrotis his obseruauit ARETAEVS noster, neque ad venae cauae fissum, neque ad illius inflammationem tanquam ad vnicam illorum

caus-



caussam reduci possint? Tum profecto nil aliud forte relictum nobis esse videtur, quam vt ex aliis caussis deriuandum esse omnium vitiorum talium complexum, fateamur. Id vero si quispiam fecerit, quomodo, quaeso, talis corruptio venae cauae et eiusdem morbus acutus, prout nempe eum ARETAEVS nobis descripsit, pro vna eademque re potest haberi? Id merito demonstrari debere, quis est, qui non agnoscat? Verum et hac in re liberales esse volumus in eos, qui contrariam tuentur sententiam et Aretaei morbum huius pariter ac nostra aetate aeque frequentem esse, sibi persuadent. Id modo eos rogamus, vt ne verbis eorum sine testimoniorum et exemplorum fide assensum praebere cogamur. Testimonia fide dignorum medicorum, qui homines, hoc Aretaei morbo laborantes, viderunt, efflagitamus, cupimus exempla huiusmodi aegrotorum, quales Aretaeus nobis depinxit, et quos sua aetate haud raros fuisse, admodum luculenter declarat. Propter naturae constantiam, ad quam forte quispiam prouocauerit, tot forte hodie, quot Aretaei temporibus exempla haud rara esse possunt? Sed, quod semel liberales nos fore, polliciti sumus, vsque eo progredimur, vt non multa exempla, non tot, quot sua aetate Aretaeus vidit, sed vnicum

cum duntaxat, quod medici huius verbis rite respondeat, nobis, omnium demonstrationum instar, hodie ostendatur.

QVID vero, si quis in his verbis Aretaei, siue potius in descriptione, quam hic medicus de acuto venae cauae morbo dedit, duplex morbi genus videre, sibi videatur, alterum venae cauae fissum, alterum eiusdem inflammationem? Quid si κέδματα, quae Aretaeus in vena caua oriri vidit, ponantur in huius scissura, inflammatio vero illa referatur ad iecur, vnde venae illius consequatur erosio? Quam quidem sententiam aliquam veri speciem habere, saltem sic comparatam esse, non negamus, vt difficultates nonnullae, quas in his ARETAEI verbis esse, supra diximus, tolli et remoueri queant. Nihilominus multa quoque in hac sententia insunt, de quibus, vt rite probari et extra omnem dubitationem poni queant, non sine caussa veremur. Nam, quod primo loco animaduertendum ducimus, vnde ARETAEVM de duobus morbis in hoc capite agere, probabitur? Ex verbis eius tantum abest, vt vllum eius rei argumentum peti possit, vt, qui attente auctorem legerit et verborum συνάφειαν expenderit, non de duplici; sed de vnico morbo sermonem esse, modo ab omni partium studio alienus sit, de-

debeat fateri. Deinde is, qui duos diuerſos morbos in hoc ARETAEI capite fundamenti loco ponit, et κέδματα fiſſum venae cauae deſignare contendit, vnde ſat grauibus et idoneis teſtimoniis huius vocabuli ſignificatum vincere et demonſtrare poterit? Legitur hoc vocabulum apud HIPPOCRATEM *c*) aliosque veteris Graeciae medicos, ex quorum ſcholiis in lexica et gloſſaria vetera iſtud eſt translatum. Quorum datae interpretationes ſi cum ipſis medicorum illorum effatis rite comparantur, haud obſcure patet, κέδματα eſſe νόσους, ſeu potius vitia tam περὶ τὰ ἄρθρα, quam περὶ τὰ γεννητικὰ μόρια, νόσου vero ipſius genus interpretantur gloſſaria per τὴν χρονιωτέραν διάθεσιν, quae profecto, iudice cel. TRILLERO *d*), nil aliud eſſe poteſt, quam inueteratus aliquis, cum dolore forte coniunctus, tumor, id quod ex SVIDA *e*) coniicere licet, qui idcirco κέδματα per τὰ χρόνια ἀλγήματα interpretatur. Haec κέδματα ſi, vt iam diximus,

περὶ

c) nominatim libr. *de locis in hom.* vbi verba: ἢν δὲ ὀλίγον ῥεύσῃ ἰσχιάδα καὶ ΚΕΔΜΑΤΑ ἐποίησεν, etiam libro *de aeribus, aquis et locis*, vbi de Scythis eunuchis ſermo eſt: ὑπὸ τῆς ἱππασίης αὐτέους ΚΕΔΜΑΤΑ λαμβάνει. Conf. CAMERARIVS *exquiſit. nominum, quibus partes corporis humani appellari ſolent*, p. 364.

d) *obſeruationibus criticis in varios graecos et latinos auctores*, p. 426.

e) *lexico, tom.* II, p. 289. edit. KÜSTERI.

περὶ τὰ γεννήτικὰ μόρια sunt, a M. Seruilio apud LIVIUM *f*) dicuntur *tumores inguinum et* quidem *inueterati*, vnde interpretes medicorum graecorum, si haec κέδματα describunt, semper vocabulis χρόνιος, χρονιώτερος, de iis vsurpare solent *g*). Haec περίστασις iam abunde docet, κέδματα non posse esse venae cauae scissuram, quumque et hoc accedat, in nullo veterum auctorum hoc vocabulum vel vllum scissurae genus significare, nec vllibi, vbi τῶν κεδμάτων, venae quoque cauae mentionem esse factam, qua veri specie, quamuis minima, talis sententia, quae incognito atque plane inusitato vocabuli significatu aperte nititur, tueri et commendare se possit, nos, hercle, non videmus. Porro et hoc probe notandum est, nullam prope rationem subesse, vnde, Aretaeum de iecoris inflammatione loquutum hancque venae cauae acutum morbum dixisse, apte et, vt par est, demonstrari queat. Nam, etsi iecoris et venae cauae coniunctionem ex corporis humani fabrica nemo ignorat, hac tamen inflammata, absolute necesse esse, vt et haec inflammetur, quis vnquam medicorum hoc adfirmauit? Quae si

f) *libr.* XXXXV. *cap.* 39.


g) vide SVIDAM *loco memorato* et HESYCHIVM *tom.* II. p. 215. edit. ALBERTI.

ſi vera ſunt, ſunt vero veriſſima, quomodo bonus ille et tot annorum decurſu probe exercitatus ARETAEVS iecoris vitia cum venae cauae inflammatione confundere potuerit, nos non adſequi, lubentisſime fatemur. Quo minus vero culpam venae cauae in iecur transferre potuit talis medicus, qualis ARETAEVS fuit, eo difficilior profecto, niſi nos omnes rationes fallunt, erit diſſentientibus reſponſio, ſi ab his quaeratur, quo vllo pacto, ſi ARETAEI morbus vitium ſit inflammati iecoris, quo, inquam, pacto ARETAEVS noſter ſolam cauam venam, nec ſimul eodem iure alias arterias, venas et vaſa adcuſauerit, quae perinde ac vena caua, ſi haec ex iecore inflammatur, ſimul cum iſto propter eamdem conſociationem inflammari debent? Dicat igitur iam nobis aliquis cauſſam, cur de venae cauae, nec ſimul de arteriae hepaticae, deque venae portae acuto morbo ſcripſerit Aretaeus? Cur vni venarum generi hoc tribuit, quod pluribus aut iunctim, aut ſeparatim tribuere debuiſſet, ſi ſedes morbi, quem deſcripſit, in iecore foret quaerenda? Neque vero in noſtra diſquiſitione et hoc omitti debet, ſecundum ipſum BOERHAVIVM *h*) vitio illo iecoris non totam venam cauam, ſed extremos tantummodo

eius

h) *aphoriſm.* 941.

eius fines, qui iecur attingunt, adfici. Quae quum ita fint, quis mente concipere poteft, ARETAEVM potuiffe aliquid tribuere venae cauae, quod minimam tantum illius partem adficit, ac fimul prorfus tacere de ipfo iecore inflammato, de aliis venis et arteriis, quae, illo inflammato, haud fecus ac extremi venae cauae fines, vt inflammentur, neceffe eft? Qui potuit hoc ARETAEVS, qui iecoris vitia tam probe cognita habuit, vt integrum caput, feptimum nempe huius libri, iis excutiendis confecraret? Qui, inquam, potuit hoc facere acutiffimus morborum fedis fcrutator, qui ab ipfis aduerfariis tantopere a fumma in obferuando ἀκρίβεια laudari alias et commendari folet? Tandem, fi venae cauae acutus morbus in arrofis illius finibus eft quaerendus, inflammatio, vtpote huius corruptionis cauffa, aut a venae cauae ramulis, qui per iecur fparfi funt, incipit, feque ad primordia ipfius venae, quae iecori adiacent, extendit, aut in eo loco iecoris initium habet, quem extrema venae cauae pars, fiue primordia illa attingunt. Hoc inflammationis genus, quoniam in vniuerfa iecoris fuperficie ad vnicum tantum locum adftrictum eft, non nifi raro poteft contingere, illud vero longe debet effe frequentius, quoniam



ramuli, quacumque demum parte iecur inflammetur, etiam possunt inflammari. Quae quum ita sint, duplex iam oritur quaestio, altera, quomodo Aretaeus inflammatos ramulos illos acutum venae cauae morbum dicere potuerit, quum tamen nuspiam apud veteres medicos, neque apud ipsum Aretaeum, ramulis his nomen venae cauae fuerit adsignatum, altera, qua ratione Aretaeus posterius inflammationis genus pro satis frequenti venditare; de priori vero, per rei naturam longe frequentiori, prorsus silere potuerit.

At enim natura semper sibi par, semper constans, leges suas nunquam mutat, a rerum primordiis vsque ad hoc tempus illis conuenienter congruenterque agit? Qui igitur videre potuisset Aretaeus quidpiam ad aegrotantium lectos, quod nondum viderint nostrae aetatis medici? Qui exsistere potuisset eius tempore morbi genus hodie insolens et incognitum? Sunt forsitan, quibus eiusmodi ratiocinii genus haud plane displiceat. Absit, vt naturae inconstantiam exprobremus et mutabilitatem, vt in hac rerum vniuersitate ipsa natura eiusque legibus nil firmius, nil constantius reperiri posse statuamus. Verum et hoc simul acriter

ter contendere nos posse nobis videmur, alios esse eiusdem ex aliis caussis effectus, et qui propter perpetuas naturae leges omne morbi genus apud omnes populos omni tempore reperiri debere, opinentur, hos naturam ipsam cum eius pro animantium status et conditionis diuersitate diuersa vi et operatione aperte confundere. Quod quidem nullibi melius, nisi inter ipsos medicos vsu et experientia constare posse arbitramur. Pro aëris, quam mortales, aliam sub alio coelo, hauriunt, diuersitate *i*), pro victus, quo se sustentant, proque motus et quietis discrimine, pro diuersa somni et vigiliarum, tum frigoris pariter ac caloris temperatione, pro exhalationum terrae ad ipsum temperationis huius genus conformatione, immo pro vestium, modo constrictiorum modo laxiorum, diuerso vsu *k*) aliud morbi genus apud alios populos modo frequentius, modo rarius esse solet. Quis corporis vitia, quis morbos dari ignorat, nonnullis olim gentibus

 pla-

i) doctissime ea de re commentatus est IOHN ARBVTHNOTVS singulari libro de vi et operatione aëris in corpora humana, Londini, CIϽ IϽCCXXXIII.

k) conf. WINSLOW doctissima de hoc argumento diss. in *commentariis academiae scientiarum regiae Parisinae* an. CIϽ IϽCCXXXX.



plane incognitos, quis e contrario alios, quibus hodie mortalium genus affligi excruciarique videmus, quorum tamen ne vllum quidem apud maiores nostros adhuc licuit reperire vestigium? Illud illustri exemplo, a Persarum corporis habitu petito, apud XENOPHONTEM *l*), hoc variolis, morbillis ac purpura, tum morbo gallico possemus confirmare, si in re satis explorata diutius haerere animus esset. Illud tantum monemus, qui idcirco naturae inconstantiam adcusare se posse, opinetur, fore prope neminem.

l) Κύρε παιδ. cap. II. 16.

